13.

IN NOMINE IESV CHRISTI.

VINDICIÆ

Pacificationis Osnabruccensis & Monasteriensis,

à

Declaratione nullitatis articulorum arrogantiæ Pontificum temerariæ præjudicialium, impudenter satis & audacter attentatâ

Ab

INNOCENTIO PAPA X.

Autore

LVDOVICO de MONTESPERATO, JCto Germano.

LONDINI,
Apud hæredes JEAN de VALEVR.

ANNO M. DC. LIII.


BRITISH MUSEUM

IN NOMINE IESV CHRISTI.

VINDICIÆ PACIFICATIONIS OSNABRVCCENSIS ET MONASTERIENSIS,

à

Declaratione Nullitatis articulorum arrogantiæ Pontificum temeraria præjudicialium, impudenter satis & audacter attentatâ

Ab

INNOCENTIO PAPA X.

Paragraphus I.

Effigiem aquilæ Imperialis, quam Mercurinus 1.
Albonensis de Gattinaria, Cancellarius Hispanicus post fata Maximiliani, recens electo Imperatori Carolo Hispaniarum Regi in responso Electorum Ambasiatori, Frederico Comiti Palatino, die S. Andreæ anni M. D. XIX. in Molino regio propè Barchinonam dato, pulchrè repræsentabat, juxtaque eam luctuosum Cæsaris denati funus cum decreto electionis noviter peractæ, sacrique Imperij restauratione haut inscitè conferebat, si quis
† ad præsentem Germaniæ statum accommodaverit, vivis, quod 2.
dicitur, colorib. eũ depinxisse videbitur. Biceps enim quemadmodum Aquila Imperialis figuratur, velut Orientem & Occidentem spectans;
ita bicipitem hodie rerum Germanicarum faciem † cernere licet: Vnam 3.
quæ post Solem Pacis occidentẽ, densissimas Martis tenebras memoriæ

nostræ sistit, ijsque denuò quasi animos contristat ; Alteram verò ceu Philosophorum valdè amabilem, Solis illius ortum rursus intimantem, multumq; corda exhilarantem. Dulcissimum † sanè Solis lucidissimi
4. nomen ; quo ex Tullij mente non tantùm ij , quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atq; agri censentur lætari, quod cùm diu nimis à Germania nostra exulaverat, firmatum tandem redijt , ac post tantas
5. bellorum tenebras amicabile Pacis sidus illuxit iterum , † afflictissimumque Reipublicæ statum quieti suæ reddidit. Neminem fore certò sumus persuasi, cujus non exhorrescat animus , si temporis præteriti
6. imaginem concipiens, † bellum illud tricennale à motibus Bohemicis exortum, idque comitantia mala, clades, pecorum abactus, plus quàm dimidiæ hominum partis necem miserrimam pariter & horribilissimã, latrocinia patrata, urbium villarumq; rogos, agrorum & provinciarum vastationes, totiusque Germaniæ concussiones, & vulnus lethaliter ipsi
7. inflictum perpenderit , ex quo † si unquam , vix ante fabulæ totius mundanæ catastrophen, vel, quod non absq; suspirijs & lachrymis mens præsagit, nunquam reconvalescet. Nimirum Patria nostra, commune
8. † Europæ diribitorium, in eam devenit faciem , ut hostes etiam ipsos tandem miseratio accenderet. Extemplò autem lumen Pacis clarissimũ
9. nobis apparuit, † & qui hactenus in tenebris bellorum egimus, ac remis velisque destituti inter fluctus & scopulos erravimus , subitò vidimus jubar, pacisque jucundissimæ solem, cujus virtute, quicquid miseriæ ac crudelitatis, furor Martis intulit, unâ veluti liturâ deletur. Vidimus belli finem, & viximus diem à Majoribus optatum, non tamen visum,
10. † quo meliorem in triginta annis non habuimus: Audivimus nuncium, quod Patres nostri audire gestierunt, nec tamen audiverunt, Nunciũ verè Evangelicum ac improvisum , cujus suavitatem vix capere , & inversum tàm subitò ac fausto sydere rerum ordinem intelligere quimus , nedum eloqui , licèt centum ora centumque nobis essent linguæ.

II.

11. Nos ergò felices ! quibus summum hoc mortalitatis contigit beneficium, & quo majus nec votis complecti , nec à Deo impetrare potuimus, quem meritò solum agnoscimus benefactorem, lætitiæque hujus

hujus autorem, cujus laudes in æternum prædicamus. Deus enim
misertus est Germaniæ, & suâ manu largum sanguinis imbrem stitit;
Ille solus fidem, prudentiam & dexteritatem Pacificatoribus Poten- 12.
tissimis & Serenissimis subministravit, sapientiam cordibus Plenipo-
tentiariorum infudit, ut difficilimos & inextricabiles morarum ac
dilationum nexus invenirent, solverent, explicarent, Pacemq; tandem
ante tricennium amissam restituerent. † Quorum merita silentio & 13.
oblivione hautquaquam sepelienda, quippe qui nullis sese molestiis
ac curis in reparandâ pace subtraxerunt, nec sumtibus ac impensis
pepercerunt ullis. Sacra imprimis † Cæsarea Majestas fidelissimum 14.
Germaniæ protectorem Ecclesiæque defensorem se præstitit, & veri
Imperatoris Pacifici officium satis nunquam laudandum gessit. Nec
minores negotio huic suppetias tulit, labores sustinuit, & nescio quid
non operarum suscepit † Parens patriæ Saxonicæ venerandus, Sere- 15.
nissimus ac Potentissimus Elector, Senior hodiè in Collegio Septem-
virûm, quà autoritatè, quà prudentiâ & experientiâ incomparabili
gravissimus, meritissimus, cui nunquam † res adeò difficilis fuit visa, 16.
ut maximè alii naufragium spei de pace Germanorum se jam fecisse
existimarent, quin saluberrimis consultationibus, legationibus &
sumtibus immensis, armistitio, ac imprimis precibus publicis, assi-
duisque admonitionibus tractatus pacificatorios multùm juverit & 17.
promoverit. † Quibus satis fideliter æquè adstiterunt reliqui Electo-
res, Principes ac Status Imperii laudatissimi, nil quidquam vel ope-
rarum vel sollicitudinum, unde restauratio pacis lapsæ speranda foret,
intermittentes ac negligentes, † nobisque in utramvis aurem & ocu- 18.
lum dormientibus, pro salute Imperii vigilantes, ac subditis suis in-
serviendo seipsos consumentes, usque dum Pacificationis negotium
ad exitum & eventum pervenerit felicissimum, tandemque † omnium 19.
voto ac consensu Osnabrugis mense Augusto, & Monasterii West-
phaliæ mense Octobri Anno M. DC. XLIIX. Pax universalis con-
clusa, instrumentis firmata & publicâ autoritate fuerit promulgata,
quam summâ devotione & submissâ gratiarum actione tota Germa-
nia, omnesque boni ac pii deosculantur, certò confisi, Transactio-
nem hanc in æviternum duraturam, nec unquam fore, ut Germania 20.
motibus pristinis denuò implicetur, quicquid etiam osores quidam
invidi contra illam attentabunt, vel jam attentaverint & scriptitave-

rint,

21. rint, & scriptitaverint, inter quos præcipui verè sunt, † qui Socios Iesu jactitant, operam id dantes, ut vel pacis vinculum laxent, vel piaculum inde Proceribus Imperij persuadeant, quorum tamen conatus non magis nocumento unquam erunt pijs Principibus, quàm strepitus anserini, seditiones quidem & bella spirantes, ad effectum autem
22. intentionis suæ haut aspirantes, † ut non malè id genus homines æquiparaverimus Planetis: Iovi imprimis propter dominandi cupiditatem, & Marti propter seditiones & bella, sideribus scilicet erraticis à verâ Solis viâ recedentibus, ex Simon: Sten. *in resp. ad apologiam Iacobi Gretseri pro vitâ Lojol,* Bembellona de Godent. *de pace religios. part. 1.*
23. *cap. 16. pag. 266.* † Sed quantum etiam laboris turbatores illi pacis, tandem impenderint, non quidquam tamen se effecisse, nec obicem ei posuisse ullum experientur, si vel ipsius saltem Pacificationis verba probè observaverint, quibus transactio illa nuncupatur ac constituitur
24. † Lex perpetua & pragmatica Imperij sanctio, in posterum æquè ac aliæ Leges & Constitutiones fundamentales Imperij, nominatim proximo Imperij Recessui, ipsique Capitulationi Cæsareæ inserenda, obligans non minus absentes quàm præsentes, Ecclesiasticos æquè ac Politicos,
25. sive Status Imperij sint sive non, eaque † tàm Cæsaris, Procerumque Consiliarijs & Officialibus, quàm tribunalium omnium Iudicibus & Assessoribus tanquam Regula, quam perpetuò sequantur, præscripta, Instrum. Pac. Osnabr. §. *pro majori etiam horum omnium, &c.* Abeant ergò, qui Cæsareæ Majestati & Statibus Imperij in os obloqui haut erubescunt; taceant, qui Legem publicam, perpetuam & pragmaticam disputatiunculis suis impugnare, vel ambiguam saltem reddere & in
26. sinistrum torquere sensum præsumunt; † aut si id facere noluerint, perpetuum quasi ex Lege diffamari silentium sibi impositum iri certò credant: quod & jam factum inficias non ibit, cui innotuit prohibitio
27. Legis expressa & satis rigorosa, Ne quisquam † publicè privatimque concionando, docendo, disputando, scribendo, consulendo, Transactionem illam pacis impugnet, dubiam faciat, aut assertiones contrarias inde deducere conetur, *dict.* Instrum. Pac. Osnabr.

§. *utriusque religionis magistratus*

17.

III. Mirum

III.

Mirum autem non eſt, quoſdam Ordinum minorum Pontificios 28.
in Monaſteriis latitantes affectibus ſuis indulſiſſe, & contra perpetuum
Pacis decretum ſcriptiunculis privatis inſurgere auſos fuiſſe, cùm nec
qui gentis hujus Dux & caput ſupremum audire cupit, Innocentius
nempe Papa X. qui olim erat Iohannes Baptiſta Pamphilius, temperare
† ſibi potuerit, quin ſcripto publico, quod nuncupari, voluit 29.
Declarationem nullitatis articulorum nuperæ Pacis Germaniæ, religioni Catholicæ, ſedi Apoſtolicæ, Eccleſijs alijſq; locis pijs ac perſonis & juribus eccleſiaſticis, quomodolibet præjudicialiũ, ſub annulo Piſcatoris de dato Romæ apud ſanctam Mariam majorem, die XXVI. Nov. Anni
M. DC. XLVIII. edito, Dominis Pacificatoribus inſultaret, † eorumq; 30.
de Pace concluſa firmiſſima impugnare & infringere aggrederetur. In
quo ſanè eò impudentiæ & temeritatis progreſſus eſt, † ut omnes 31.
articulos Pacis ſibi diſplicentes, & juri ſuo tàm quoad perſonas quàm
bona & res eccleſiaſticas affectato atq; præſumto, præjudiciales annullare & pro nullis declarare, omniaq; Cæſareæ Majeſtatis, Electorum &
Principum ac Statuũ Imperij concluſa, ſanctiones immenſoſq; labores,
uno quaſi ictu funditus convellere adnitatur, † non ſine prolixo & 32.
pomposo verborum apparatu, ex officio, ſi Dijs placet, divinitus ſibi
commiſſo, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, utriuſq; Pacis tàm
Oſnabruccenſis quàm Monaſterienſis articulos cæteraque in Inſtrumentis deſuper confectis contenta, † quæ catholicæ religioni & ſedi 33.
Apoſtolicæ Romanæ, inferioribuſq; Eccleſijs, ac Ordini & Statui eccleſiaſtico, illorumque perſonis, membris, rebus, bonis, juriſdictionibus,
autoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegijs, prærogativis &
juribus quibuſcunque, quomodolibet officiunt, ſeu præjudicium etiam
minimum afferunt, aut afferre ſeu intuliſſe, & aliàs nocere ſeu nocuiſſe,
quoquo modo dici, intelligi, prætendi vel cenſeri poſſent, cum omnib.
inde ſecutis & quomodocunque ſequendis, † ipſo jure nulla, irrita, 34.
invalida, iniqua, injuſta, damnata, reproba, inania, viribuſque & effectu
vacua pronunciando: omnem contrariam, obſervantiam etiam juramento vallatam, jus vel actionem competentem, cauſam præſcribendi,
poſſeſſionem vel quaſi, longiſſimi quantumvis temporis, citra ullam
etiam interpellationem ſeu interruptionem tollendo; † De articulorũ 35.

præfa-

præfatorum nullitate protestando: Contra eos Sedem Apostolicam, Romanamq; & inferiores Ecclesias, ac quælibet loca pia & quascunq; personas ecclesiasticas, in integrum ac pristinum, eumque statum (in quo olim & ante hasce, aliasque anteriores transactiones, pactiones seu conventiones ubicunque & quomodocunque factas, erant)
36. restituendo, reponendo ac plenariè redintegrando: † Scriptum illud seu Literas declaratæ nullitatis contra omnes & quoscunque, absentes etiam & non auditos, de subreptione protestantes, nec non super vitio nullitatis ac invaliditatis conquerentes, ac quoquo tandem modo &
37. prætextu excipientes, stabiliēdo & firmando: Secundum eas, † Iudices quoscunq;, ordinarios & delegatos, etiā Palatii Apostolici Auditores, nec non Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, ac ejusdē sedis Nuncios, & quosvis alios quacunq; autoritate fungentes, sublata aliter pronunciandi, declarandi & interpretandi facultate &
38. autoritate, semper & ubique judicare ac definire jubendo: † Quicquid unquam & à quoquam, quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit aut attentatum fuerit, pro irrito & inani declarando:
39. Apostolicas Constitutiones & † ordinationes contrarias & anteriores, tam generales quàm speciales, etiam in Concilijs universalibus editas, Cancellariæ Apostolicæ Regulam de non tollendo jure quæsito, & Constitutionem Pij IV. de gratijs, qualecunque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus, intra certum tempus in eâdem Camerâ præsentandis & registrandis, quatenus illæ omnes declarationi huic
40. nullitatis obsint, abrogando: † Leges porrò Imperiales & municipales, nec non Statuta quævis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roborata, usus ac consuetudines etiam immemoriales, privilegia, indulta, concessiones, & literas Apostolicas, quibuscunque locis & personis, etiam Imperiali, Regali, & aliâ quavis, sive ecclesiasticâ, sive mundanâ dignitate fulgentibus, & aliàs quomo-
41. dolibet qualificatas, ac specialem expressionem requirentes, † quin & consistorialiter sub quibuscunq; tenoribus & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis & decretis etiā irritantibus, & aliàs quomodolibet concessas, editas, factas, & pluries & iteratis vicibus confirmatas, approbatas
42. & innovatas, cassando, reprobando & damnando. † Et quibus tandem verbis longè pluribus, eorumque prolixiori ductu usus est Pontifex in scripto illo nullitatis declaratorio, cui certè ne

ſyllabam videtur inſeruiſſe, quâ non arrogantiam ſuam ſtatuminare, Cæſareæ verò Majeſtati, Imperio & Principibus univerſis, quicquid vel autoritatis & ſplendoris, vel juris & poteſtatis competit, conatu prorſus temerario detrahere voluerit. † Sed nimis audacter, arroganter & 43.
impudenter, nec abſque violatione, læſione & offenſione ſuperioritatis ac majeſtatis, quam ſacratiſſimus Imperator unà cum Statibus Imperij à ſolo Deo immediatè conceſſam tenet, omniq́ue jure vendicat. Vix ergò continere nos poſſumus, † quin à Pontifice attentati hujus rationem 44.
poſtulemus, eumque intrepidè alloquamur: Papa quid facis? Itané Vncto Domini inſultandum? Cæſaris autoritas vilipendenda? Placita & concluſa Principum Imperij eludenda? Leges Imperiales; Conciliorum decreta; & ſacræ Anteceſſorum conſtitutiones catervatim delendæ, abrogandæ, damnandæ? † Quid facis Papa? Papa quid facis? 54.

IV.

Nullâ verò extorſione reſponſum nos obtenturos veremur à Papa, quem cunctos judicaturum, à nemine autem judicandum, in ſcenam producunt paraſiti Romanenſes ex dictis Bonifacij martyris, *in can. ſi Papa. 6. diſt.* 40. † Ipſimet ideoque illud ſuppeditamus ex genio 46.
Pontificum anteceſſorum informati, qui nunquam non id operam dederunt, ut Principes, quos filios ſuos dilectos ſalutabant, blanditijſq́ue paternis excipiebant, miſerè deceperint, ſibi ſubiugaverint, jura ac poteſtatem eorum inverterint, ad ſe rapuerint, & veram Chriſti Eccleſiam dilacerarint, ac devaſtarint, tantillum pacis illi invidentes, de † quorum 47.
melliſluo ſermone votoq́ue paterno verè quis dixerit: Vox eſt Iacobi, manus verò Eſavi, *Geneſ. 27. verſ. 22.* Credere qui hoc nolit, à Friderico Barbaroſſâ exquirat, quonam amore Pontifex ipſum fuerit proſecutus, † an non pedum magis calcatione, quàm ſuavi alloquio favorem 48.
declaraverit paternum, Cario *in chron. lib. 3. in vit. Frider. Barbaroſ.* Dreſſer. *in millenar. 6. pag. 356.* † Nec tolerabiliorem ſuſtinuit fortunam Henricus 49.
III. pro affectione paternâ inſidijs à Gregorio VII. Papa vitæ ſuæ ſtructis, ex Benone Cardinale Auct. Bruti fulmin *pag. 9. in fin.* Parilemq; expertus eſt ſortem † Gallorum Rex, eodem Henrici nomine tertius in ordine 50.
nuncupatus per ſacrificulum Dominicanum cultro medicato peremtus, Marian. Ieſuita *lib. 1. de regn. inſtit. cap. 6. pag. 51.* nec non † Henricus VII.

B Imperator

Imperator ex dilectione [scilicet] paternâ veneno in hostia eucharisticâ insidijs Papæ sublatus, Goldast. *in replicat. pro Imper. pag.* 13. Quid itidem fortunæ adversæ Otthoni I. Otthoni III. Henrico V. Sigismundo, alijsq;
52. Imperatoribus acciderit, † quamque rigorosè amorem & favorem paternum Pontifices omnibus ferè seculis declaraverint, Historicorum monumenta satis superque testatum faciunt: Eorumque egregia erga Cæsares & Imperium facinora prolixè admodum commemorat & longum horum texit catalogum Vlricus ab Hutten Eques *in indicio: Quomodo unoquoque tempore Pontifices Romani erga germanicos Imperatores sese*
53. *gesserint, ex Chronicis & Historicis excerpto*; † In quo inter alia notabiliter refert de Imp. Maximiliano I. quod cum Pontifices omnis generis fallacijs & astutijs eum circumvenire studuerint, fidem nunquam servaverint, nec juramentis nec promissis steterint, ac tandem Leo Papa, ut cæteri
54. antea, fidem ipsis violâsset, hæcce is mirabundus protulerit verba: † Eja & hic nunc Papa etiam fœdifragus & perjurus est factus; nunc verè dicere possum, quod nullus Papa unquam, quoad vixi, fidem & promissa mihi servaverit. Ita scilicet Pontifices nunquam non contra Cæsarem
55. & Principes Imperij † pessima quæque sunt moliti, ejusque interitum Ecclesiæque ruinam licet non semper apertè, clam tamen & per alios intermedios oppetierunt, super omnem se extollentes potestatem secularem, imperiumque sibi arrogantes, & quicquid utiliter ad conservationem regiminis pacifici Principes cogitarunt, concluserunt, promulgarunt, improbantes, ausuque impudenti, quantumvis frustrà & nulliter, abrogantes, vel saltem ijs contradicentes, de quibus singulis
56. sermocinari nimis longum foret: † Ita namque (ait idem Vlricus ab Hutten) scelera Pontificũ excreverunt, ut plus etiã quàm Æneis Virgilij, temporis conscribendi requirerent, *dict. loco.* Succinctè autem Athanasius quidam machinas papales contra puriorem Evangelij doctrinam detexit in scripto peculiari: *Quid Papatus sentiat de Illustrissimis Germaniæ Principibus ac de liberis Civitatibus, quæ Evangelio nomen dederunt, imprimis de tota nostra Ecclesiâ & ministris Ecclesiarum*, *Anno* 1555. edito ac præmisso Q. Iacobi
57. Moronessæ Monachi Cælestini libello *de vitâ Martini Lutheri.* † Vnde hæc excerpta sufficiant: Iam neminem puto esse (inquit) qui nesciat, quantis & quàm validis machinis Papatus nos tentavit atq; oppugnavit per hosce quadraginta annos (quibus cœlestis Pater patefecit nobis veram ac genuinam doctrinam dilecti Filij sui) ut nos ab eâ avelleret:

Certè

Certè nihil fuit ab eo prætermissum, cùm diabolum habeat suggerentem & magistrum; Vsus enim est † terribilibus minis, artibus, largitionibus, 58.
potentiâ summorum Regum, fulminibus excommunicationum, Concilijs fraudulentissimis, bellis & cædibus scelerattissimis, obtrulit pestem Interimisticam, abrogavit Magistratus, iterum falsa Concilia concinnavit: In summa, quicquid potuit, malorum accumulavit sua illa incomparabili versutiâ atque improbitate, &c. apud Goldast. *in polit. Imp. part.* 25. Vnde quid † Pontifex noster Innocentius X. Scripto suo 59.
annullatorio intendat, idque in recessu habeat, facilè, qui naris sunt emunctioris, subolebunt. Metuit scilicet sibi, ne quidquam vel jurium vel bonorum ecclesiasticorum, præsumto suo primatui subtrahatur, compositis motibus bellicis, Evangelici vivant pacatè; cursus doctrinæ puriori, verboque divino relinquatur liberrimus, res papales in pejus ruant, ac tandem penitus in fumum abeant. † Eandem enim Pontifex 60.
agit fabulam, nec latum unguem à machinis & versutijs, quibus olim Antecessores usi fuêre, recedit, saltem ut fulcro quodam infaustum sustineat Papatum.

V.

Num ergò in scripto hoc nullitatis declaratorio papali acquiescendum, nec verbulo huic arrogantiæ ac temeritati contradicendum? Veremur, † 61.
ne frustra in re tâm futili & inani laborem consumant Principes & Status Imperij, si vel tantillum operarū impenderint. Quod si enim ex dogmate ICtorum, nullo rescissionis remedio opus sit in re per se ac ipso jure nullâ, † quis non prudentissimè ab Imperatore & Proceribus Imperij actum 62.
existimaverit, si declarationem hanc nullitatis ab eo, qui nec annullandi, nec declarandi potestatem habet ullam, nec quidquam in Imperio germanico ordinare ac disponere valet, profectam, nullo dignam judicent responso, † nedum protestatione solenni vel edicto cassatorio; 63.
foret namque, ut si hac de re negotium cum Pontifice susciperent, & ipsi non parum futilitate ejusmodi implicarentur, nullâ penitus necessitate ad id compulsi, † postquam toti jam mundo satis innotuit, quàm parùm 64.
hodie effecti vel autoritatis ausibus ejusmodi temerariis & edictis Papæ attribuatur, non plus certè quàm fulguri ex pelvi, quantumvis sub Pontificis signeto vel bullâ plumbeâ emanaverint, † quam sui juris 65.

fecerunt Pontifices *lib.* 1.*cerem.eccles.Rom.cap*-2.in tantum,ut Alexander III. Pontifex, ex singulari gratiâ jus obsignandorum plumbo Diplomatum, Duci Venetorum aliquando concesserit,Renat. Choppin.*de doman.gallic. libr.* 2. *tit.* 2. *p.* 234. *n.* 8. unde Baldus literas Ducis Venetorum haut
66. plumbatas pro suspectis habet,*in l.de quibus. ff.de LL.* † Sed verè bulla hæc papalis est plumbea, nec literæ papales illâ obsignatæ à nostratibus, qui Evangelij suavitate delectantur, majoris habentur ponderis, quàm
67. bullæ in aquis natæ; † quo de haut ineleganter olim cecinit Cordus:

Quod tua Romulidæ bullas diplomata dicunt,
Insipiens adeò non mihi vulgus erit.
Nam videt ut verè sunt,& sine pondere Bullæ,
Nil grave quod plumbum pictaque cera premit.
Nos tamen hæc multo,quasi magna rependimus auro,
Tam stupidus quondam,non puto,Glaucus erat.
Vtpote mutatis aliquid qui ceperit armis,
Hæc præter nugas nil glabra pellis habet.

68. *lib.*3.*Epigramm.*citatus à Ioh.Limn.*lib.*1.*jur.publ.cap.*11. ubi scitè alludit † ad bullas hasce à Phileta Coo,qui cum macerrimi & levissimi erat corporis, ne vel minimo ventorum flatu dejiceretur, & invitus terræ matri oscula figeret,plumbeas soleas calceis impositas dicitur gestâsse: Ita, (inquit Limn.) idem bullis his plumâ levioribus extimescendum sine ponderosâ
69. hâc mole,*dict.cap.*11.*n.*42.† Evanuit enim autoritas papalis,& quem olim in sellâ Romanâ pro DEO habuerunt,ac tantùm non adorarunt,is majori in christiano orbe parti hodie est contemtui: quod olim fulmen papale
70. non minus quàm mortem timuerunt,hodie vulgò derident: † Nec ut olim quod Romæ agebatur vel ordinabatur, ita etiamnum Pontificis acta & mandata divinitus splendent,sed mores&actiones sedis Romanę toti hodie innotuerunt mundo,usque adeò ut omnes,sive Pontificij sive Evangelici sint, illas evomant & illudant, veluti rerum pontificiarum benè gnarus, Imperij quondam Vice-Cancellarius D.Georgius Sigismundus Seld, & ipsemet religioni pontificiæ addictus scripsit ad Ferdinandum I. Cæsarem *in Consilio super attentatis Pii V. Pontificis contra*

electionem

electionem Regis Romanorum inscio ipso susceptam & peractam,p. 8. † Ne hilum 71.
ergò prostat,ex attentato hoc Pontificis, quod vel Pacificationi nostræ obesse, vel Principes Imperij anxios reddere posset, ut forsan id gravaminibus germanicæ Nationis, quas jam ante centum annos & quod superat, publicè exhibitis novimus, accenseri debeat. † Aut si 72.
omninò sinistri quid metuendum inde foret, remotum hoc iri ex ipso Pacificationis instrumento non ambiget,qui obicem in eo, conatui huic iniquissimo,jam positum adverterit; Inter alia namque pro firmamento Transactionis hiscé caverunt verbis Pacificatores potentissimi: † *Contra* 73.
hanc transactionem ullumvé ejus articulum aut clausulam nulla jura canonica, vel civilia, communia vel specialia Conciliorum decreta, privilegia, indulta, edicta, Commissiones,inhibitiones, mandata,decreta, Rescripta, litis pendentiæ, quocunque tempore latæ sententiæ, res iudicatæ, Capitulationes, Cæsareæ & aliæ,religiosorum Ordinum regulæ ad exemtiones, sive præteriti sive futuri temporis protestationes, † 74.
contradictiones,appellationes,investituræ, transactiones, juramenta, renunciationes, pacta,aut concordata cum Pontificibus, *aut Interimistica, anno* 1548.*ullavé alia statuta,sive politica sive ecclesiastica,decreta,dispensationes, absolutiones, vel ullæ aliæ, quocunque nomine ac prætextu excogitari poterunt, exceptiones unquam allegentur, audiantur aut admittantur, &c. in* Instrum. pacis Osnabr. §.*contra hanc transactionem,&c.*

VI.

No npotest non animadvertere hinc ipsemet Pontifex, † quàm 75.
vanè rebus suis consuluerit, per Nuncium papalem Fabium Episcopum Noritonensem contra Pacificationem protestando, scriptoque annullatorio displicentiam suam declarando, infringere eam nimis serò annixus, & annullatione conatuum suorum ab ipsis Pacificatoribus præventus. Nam quicquid etiam verborum † in futili suo decreto 76.
fecerit, quem copiosum fastuosi sermonis apparatum demonstraverit, quàm ing entem clausularum supellectilem adduxerit, omnia tamen vanissimè dicta & facta,omnia temerariè demonstrata, omnia quoque frustra adducta, cautela illa principum cassatoria satis evincit, ut profectò omnem su um laborem Pontifex perdiderit, † si non etiam in 77.
crimen fractæ pacis inciderit. Prævidentes siquidem Potentissimi ac Serenissimi Principes, hanccé malitiam, maturâ præoccupatione, &

 remedio

remedio ſat rigoroſo ei occurrere voluerunt, pœnam fractæ pacis indicentes omnibus iis, qui tranſactioni ſuæ ac paci publicæ conſilio vel ope contravenerint, in tantum, ut ſive Clerici ſive Laici fuerint, ipſo jure & facto pœnam incurrant, *dict.* Inſtrum. pac. §. *Qui verò huic tranſactioni*
78. *&c.* † Quid ergò eſt, quod Pontifex in re tàm fruſtraneâ maximoperè ſollicitum ſe præbuerit, vanumque ſuſceperit attentatum? Forſan ſimplicioribus pompoſo hoc nullitatis decreto γλαύκωμα objicere
79. conatus eſt. Sed annum dubitat, † quin ſi Græcia aſtutum habeat Vlyſſem, fortè habitura ſit & ſuum Palamedem, niſi omnes nos truncos & ſtipites credat, qui temeritatem hancce animadvertere
80. nequeamus. In gratiam ideoque ſimpliciorum larvam Pontifici detrahere lubentia nobis eſt, † ne forſan quiſquam eorum ſcrupulum ſibi ab ipſo moveri patiatur, nec ipſemet Papa ſe maceret ac torqueat amplius in hac cauſa. Eò felicius autem ut labor hic cedat, omniſque
81. evitetur confuſio, articulatæ nos dabimus diſquiſitioni declarationis hujus annullatoriæ, † ita ut (1.) triplicis cauſæ impulſivæ vanitatem aperiamus. (2.) triplicis erroris gravitatem manifeſtemus. (3.) triplicis
82. intentionis temeritatem detegamus. & (4.) tandem triplicis fundamenti contra Papæ attentatum firmitatem demonſtremus. † Cùm enim Pontifex triplicitate delectetur, ſuperbiatque Tyarâ aureâ cum triplici corona, tùm quo figmentum ſuum, quod à Conſtantino Imp. Aſiæ, Africæ & Europæ Eccleſiarum caput ſit conſtitutus, mancipijs ſuis
83. perſuadeat; tùm ut ſigno triplici poteſtatem in cœlum, terram & infernum ſibi arroget, † nos haut malè facturos arbitramur, ſi ternario quoque numero laborem noſtrum texamus. Adſit nobis Princeps pacis æternæ glorioſiſſimus, potentiſſimus.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Triplicis causæ impulsivæ aperit vanitatem.

VII.

HAdrianum Pontificem Romanum ab artificio quæque simulandi 1.
& dissimulandi, mirificè ab illis, qui diutinam vitæ consuetudinem
cum ipso habuerint, commendatum fuisse refert Huldrychus Zvvingli⁹,
parochus Tigurinus *in suggestione deliberandi super propositione Hadriani
Pontificis ad Principes Germaniæ Anno* 1523. *Neroberga factâ*; Quo de encomio
annon ut reliqui Successores, † ita & Innocentius noster, qui sedem 2.
hodie occupat eandem, quid participet, ambiguum vix dixerit, qui acta
Pontificum pristina in memoriam revocat, & ad novissima comparat.
Nam quâ deceptione & nequitiâ prisco illi seculo simpliciori turpiter
imposuit Papa cum suo clero, eâdem universo orbi christiano fucum
facere etiamnum apprimè studet, vera simulando, falsa dissimulando,
suasque quisquilias tegmine involutas pro auro venditando, † astutè 3.
satis, ne abs rationis & causæ plausibilis prætextu suspectum se reddat,
animumque fallacem prodat. Eodemq; colore declarationem nullitatis,
de qua nostrum jam institutum pulchrè novit depingere: † Zelo singulari 4.
se divinitus ad hoc impulsum jactitans; quem quidem concesserimus
ipsi, at zelum non secundùm scientiam, ut loquitur D. Apostolus de
errore Iudæorum *ad Rom.* 10. *vers.* 2. utque mantello plausibilitatis oculos
simpliciorũ perstringat, causam hujus exprimit triplicem, quâ commotus
rem hanc est aggressus. † *Primam* petit ex odio erga hæreticos concepto, 5.
quo nomine sine rubore Principes ac Status Imp. Augustanæ Confessioni *Prima*
addictos, vel ut vulgò loquuntur, Lutheranos verbis expressissimis *qua cau-*
voluit notatos. Voculam hanc † si juxta sensum ejus genuinum acceperit, *sa im-*
pro selectioribus inter reliquos, veluti bonam in partem olim eam *pulsiva.*
explicari solitam fuisse, didicimus ex Cicer. *in paradox. & lib.* 15. *epist. ad* 6.
Caßium,

Caßium, nec non à Modestino ICto, qui Rhetorum hæreses lege probatas dicit *in l. si tuas 6. §. 2. ff. de excus. tutor.* David Mauden. *in disc. moral. 14. ad prim. decal. precept. fol. 68.* non est quod bilem sibi patiatur moveri quisquam
7. Evangelicorum. † At cùm hodiè vox illa in nomen abierit odiosum & quasi infame, quo vulgò significatur perniciosus & pertinax contra fundamentum fidei christianæ error, athleticè hâc Principibus Evangelicis insultare Papam fuisse annixum, nemo erit qui paululum saltem hæreat.
8. Nec enim alia, vel nova est † hæc cantilena, ut meliorem Pontificis mentem sibi quis inde promittere possit, sed illa ipsamet, quam seculo jam priori cecinit, eâque calumnijs & convitijs diabolicis B. Lutherum proscindere non abhorruit Moronesla Italus ac Monachus Cælestinus,
9. cujus mentionem supra fecimus, appellitans ipsum † Hæreticum hæreticissimum, sceleratiorem & pertinaciorem reliquis omnibus hæreticis: Instrumentum diabolicum, vas damnationis, arcam ignorantiæ, scandalum orbis notabile, templum superbiæ, fornacem avaritiæ, sentinam luxuriæ, fluxum & refluxum gulæ, monstrum Saxoniæ horribile, non solùm à Christianis, sed etiam ab omnibus barbaris & Scythis, imò etiam à dæmonibus inferni fugiendum, hostem naturæ, proditorem patriæ, pestem proprij sanguinis, totius humani generis inimicum, mortem sui ipsius æternam omniumq; qui ipsum sequuntur.
10. Et convitia quæ non? † Plura si scivisset, plura evomuisset nequissimus ille Monachus in *typo Martini Lutheri, Colon. anno 1555. edito.* quin nec in personâ viri huj⁹ pientissimi substitit, sed in Principes porrò Serenissimos ac Illustrissimos, omnesque Evangelio adhærentes, vitus hoc conjecit,
11. † ijsque ac ipsimet doctrinæ Evangelicæ notam infamiæ sempiternæ apud omnes Nationes inurere gestijt: Clamat siquidem, Doctrinam nostram esse diabolicam, nostram Ecclesiam Synagogam Sathanæ, nos esse novatores, deceptores, impostores, fures, latrones, ambulare per vias Ioviniani, Vigilantij, ac etiam Pelagij, si Dijs placet, *in iam alleg. typo.*
12. Cui suum † quoque addit judicium ac consensum, Asotus Hispanus, uterque à Papa ex rabidiorib. lupis ac monachis instructus & ablegatus.
13. Ita scilicet Pontifex salutare consuevit Evangelicos; † hæc semper fuit & est etiamnum insolentia ejus, quâ in Lutheranos nuncupatione hæreseos invehitur. Declaravit nempe illos, nec declarare cessat hæreticos, h. e. homines execratos, *cap. pudenda 24. quæst. 1.* à Christi Ecclesiâ separatos, *can. convenientibus 1. quæst. 7.* à spiritu sancto desertos, *can. hæretici.*

can.

can. didicimus dict. quæst. 1. anathemata, *cap. ad abolendum* 9. *extr. de hæret.* cum diabolo & angelis ejus, de æterni ignis incendio participandos, *cap. firmißimè* 3 *extr. eod tit.* sepulturâ honestâ privandos, *cap. quicumque* 2. *extr. de hæret. in 6to.* † Quo ipso obtinuisse sibi videtur, criminis gravissimi 14.
Reos haberi Principes Evangelicos, omnesque purioti doctrinæ addictos, quale omninò crimen hæreseos est, verè gravissimum atque atrocissimum, quippe quæ non in homines, ut pleraque iniquitas & malitia, † sed in auctorem Deum, communemque omnium parentem 15.
ac dominum detestabilis & execranda est perfidia, *can. primum. in pr.* 22. *quæst.* 2. *can. quid in omnibus.* 32. *quæst.* 7. *can. sanè.* 24 *quæst.* 1. Decian. *in tract. crim. lib.* 5. *c.* 19. *n.* 1. † ipsum pietatis christianæ fundamentum impediens, 16.
id est, fidem, sine qua impossibile est placere Deo, teste D. Apostolo *ad Hebr.* 11. Vnde & detestabilis ejus effectus, cui Regnum quoque Mahumeticum suos debet natales, exortum nempe ex hæresi & dissensione dogmatum fidei; † nec aliũde Arianorum & Manichęorum 17.
tempore, quàm ex hæreseos veneno universus penè orbis dissipatus, ac in varias discerptus est partes, magnaque incommoda, cædes atque ruinas passus, Decian. *d. cap* 19. *n.* 8. ut non abs re olim Romani maximo semper curaverint studio, obicem ponere novitati, ac summis impedire viribus, † ne religiones novæ in urbem irreperent, neque novi Dij 18.
colerentur; benè advertentes, labem hanc paulatim Rempublicam conturbaturam, & nisi gravissimis inhiberetur pœnis, totaliter denique eversuram, Liv. *lib.* 4. *& lib.* 35 *de bello Punico secundo.* Quam ob causam & nemo potestatem Magistratus ullo constringendam frænô dixerit, 19.
† si in hæreticos animadvertere velit, ad quod ex communi nostratium Theologorum voto est obstrictus, Frid. Baldv. *in disp. de hæret. fer. non aufer. VVitteberga, Respondente* Nicolao *Albano Rudolpho. die* 29. *Ianuarij Anno* 1608 *habitâ.* Balth. Meisner. *part.* 3. *Philos. sobr. sect.* 2. *c.* 2. *q.* 6. *pag.* 902. Gerhard. *in loc. de Magistr. polit. n.* 317 *p.* 1043. Ioh. Affelman. *in disp. de hæret. fer. non aufer. th.* 12. † non quidem, ut gladio statim temporali è medio 20.
viventiũ auferantur, ut uno fermè autumant ore, qui ubera Antichristi sugunt, Bellarm. *lib* 3. *de Laic. cap.* 21. Greg. de Valent. *tom.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 11. Majerhöfer *in specul. prædicant. fol.* 54. sed ut gladio spirituali † ad gremium 21.
Ecclesiæ compellantur, ex sacris literis rectius informentur, placidè admoneantur, ac si non resipuerint, sed dogmata sua contra veritatem pertinaciter retineant, iisque alios inficiant, migrare jubeantur & in

exilium mittantur, Meisner. Gerhard. *alleg. loc.* B. Luther. *tom. 2. Ienens. germ. fol.* 180. *& tom. 4. Ien. germ fol.* 405. Theod. Cornhert. *in epit. process.*
22. *occid. haret advers. Lips.* † quo tamen asserto haut juvabuntur, nec ullo modo subtrahere se poterunt supplicio, si vel blasphemia, vel seditio, pacisque publicæ violatio accesserit, quæ crimina alias sanguinis mortisq; pœnâ vindicantur, ex sanctione Legislatorum, *L.* 1. §. 1. *ff ad L. Iul. majest. Ordin. crim. Carol. art.* 106. Bajard. *ad Iul. Clar. in pract.* §. *læsa majest. n.* 2. *vers.* 6. *&* 10. Wesemb. *in parat ad tit. C. de haret. n.* 6. Coler. *part.* 1. *d. cis.* 177.

VIII.

23. Et hoc quidem intendit † Pontifex., hæreseos insimulando Principes Evangelicos: nec frustra, si criminis hujus convicti essent; at nunquam convincentur, multò minus se Reos illius dabunt, hancque injuriam patienter tolerabunt. Vt maximè enim gloriosum sit, Christi exemplo injurias ferre, Christiani tamen non sunt, qui unicam hæreseos notam dissimulant, fidemque puram in DEUM haut vendicant, teste Rufin. *lib.* 1. *invectiv. in Hieronym.* qui & ipsemet monendum id duxit,
24. hisce exclamans verbis; † Nolo in suspicione hæreseos quemquam esse patientem, ne apud eos, qui ignorant innocentiam ejus, dissimulatio conscientiæ judicetur, si taceat; *ad Pammachium, epist.* 61. *adversus errores*
25. *Hierosolymitani*, & ex eo Simanc. *de cathol. inst. tit.* 56. *n.* 2. † Centies autem ac millies licèt Pontifex in Principes Evangelicos virus hoc evomuerit, hæretici tamen solâ ejus inculpatione haut fient, sed nunquam non innocentiam suam vendicabunt, easdem in illum retorquentes
26. contumelias. Iure omninò; (1.) Hæreticos siquidem † tantummodò illos verè quis appellitaverit, qui ab Imperio pro talibus publicè sunt declarati, ut olim Manichæi, Montanistæ, Donatistæ, Arriani, Macedoniani, Nestoriani, *L.* 4. *l.* 5. *l.* 6. *& tot. tit. C. de hæret & Manich.* Demonstret autem Papa, si inculpationē suam pro Evangelio venditet,
27. † sententiam aliquam declaratoriam contra Lutheranos latam ac publicatam? Num eam, quā ipsemet in Cardinalium suorum Consistorio? Hæcque vel illa schola & secta in cathedris suis hæreticos
28. illos clamitaverit & condemnaverit? † Parùm profectò ea nocumento erit, perinde ac si judex in causâ propriâ jus dicere imprudenter pariter ac impudenter ausus fuerit. Summa hinc injuria infertur hodie illis,

qui à

qui à Catholicis, ut nuncupari volunt, secessionem fecerunt, quod pro hæreticis illos habeant diffamentque; Nunquam enim † ab Imperio 29.
Protestantes condemnati, nunquam reprobati, imò verò approbati, & jamdudum in Religionis Imperialis formulam ac pacem publicam sunt publicè assumti, *Recess. Imper. de anno* 1555. Vrgebit procul dubio Pontifex Concilium Tridentinum, quô Autonomia rursus abrogatam, omnesque eos qui Ecclesiæ Romanæ repudium dedêre, hæreseos condemnatos Pontificij mordicus contendunt? † At jamdudum risu 30.
hoc exceperunt Principes Confessioni Augustanæ addicti, ceu tale, quod nec pium, nec liberum & amicabile, sed suspectum, à pietate & priscâ primitivæ Ecclesiæ consuetudine, ab omni etiam humanitate alienissimum fuerit, in quo cuncta Pontificis arbitrio, placito ac nutu gesta, in quo Legati ipsius Præsidis vices gesserunt, jurata ejus mancipia in causa propria, vota dixerunt, conclusa fecerunt, † veluti hæc aliaque 31.
gravamina Serenissimi & Potentissimi S. Rom. Imperij Electores, alijq; Principes & Ordines Germaniæ, Religionis sinceræ studiosi, tum eo tempore, quo primum à Pontifice Romano Paulo III. anno 1545. Tridenti, post Mantuæ Concilium indictum, tùm eo, quo à Pio IV. ad annum 1562. redintegratum fuit, scripto publico, orthodoxæ fidei tuendæ, suique apud Cæsaream Majestatem purgandi causâ prolixè exposuerunt, quo de Goldast. *in polit. Imper. part.* 27. *n.* 10. † Nucem hanc 32.
frangere debuissent Pontificij, sed dentes obstupefacti officium negaverunt. Expeditior verò (2.) res erit, & innocentia Evangelicorum luce meridianâ clarior splendebit, si genuinam hæreseos qualitatem & exactiorem hæreticorum descriptionem inquisiverimus, quo equidem labore † tàm ICti, quàm Theologi jamdudum nos sublevarunt, rem 33.
hanc pleno cornu explanantes, ut in præsentiarum constrictim saltem, & quasi extremis digitis tetigisse sufficiat veram hæretici definitionem, † quem nuncupatum volumus hominem intra gremium Ecclesiæ, 34.
articulum aliquem & fundamentum fidei pertinaciter & malitiosè, non absque offendiculo oppugnantem, *l.* 1. *C. de summ. Trinit. & fide cathol. ex* Iren. *lib.* 3. *cap.* 1. Euseb. *lib.* 3. *cap.* 28. Affelman *de hæret. fer. non auf.*
† Abeat igitur Bartolus, hæreticorum cohorti & illum accensens, qui 35.
Imperatorem universi orbis dominum negat propter effatum Evangel. *Luc.* 2. *Exivit edictum à Cæsare, ut describeretur universus orbis. in l. hostes. ff. de capt. & postl. revers.* Abeat quoque David Mauden, † notam hæreseos ei 36.

 impingens,

impingens, qui tueri sustinet, super sepulchrum Lazari non fuisse
superpositum lapidem, quod tamen dicit Scriptura, *Ioh.11.* *in discurs.*
37. *moral. 14. ad prim. decal. precept. fol. 69.* † Abeat Lucius Papa III. cum regula
sua Lesbiâ, quam hæreticorum determinationi hisce præfixit verbis:
Universos, qui de sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vel de
baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio vel reliquis ecclesiasticis
sacramentis aliter sentire, aut docere non metuunt, quàm sacrosancta Romana
38. *Ecclesia, prædicat & observat: & † generaliter quoscunque eadem Romana Ecclesia,*
vel singuli Episcopi per diœceses suas cum consilio clericorum, vel clerici ipsi, sede
vacante cum consilio, si oportuerit, vicinorum Episcoporum hæreticos judicaverint,
vinculo perpetui anathematis innodamus, in cap. ad abolendum 9. extr. de hæret.
quam regulam meritò putridam vocat Dn. Höpfner *in Evangel. Saxon.*
39. *part. 1. sect. 1. cap. 1.* † Estque hæc illa ipsa, quam communiter Pontificij
pro verâ venditant notâ hæretici, si non credat, quod credit Ecclesia
catholica Romana, quâ de prolixè Cardin. Tusch. *concl. 93. n. 20. & seqq.*
lit. A. Ant. Faber *in Cod. tit. de summ. Trinit.* Absurda omninò, perinde ac
40. † nuncupatio Ecclesiæ catholicæ Romanæ absurda, contradictionem
non modicam implicans: quomodo enim Ecclesia catholica, seu loci
pariter & hominum ac perpetuitatis ratione universalis, *Rom. 1. vers. 8. 1.*
ad Cor. 1. ad certum restringeretur cætum, eumque Romanum, ita ut
Ecclesia catholica seu universalis sit Romana? Verè namq; posteriori
posito, tollitur prius, Goldast. *in replic. pro Imper. cap. 6. p. 31.* Reinking *de*
41. *regim. secul. & eccles. lib. 3. class. 1. c. 5. n. 13.* † Lubricis ideoque hisce anfractib.
missis, firmitate suâ constat nostra Hæretici descriptio, nequaquam
conveniens ijs, qui dogmata profitentur sacræ Scripturæ analoga,
postquã hæc sola est norma christianæ Religionis verissima, indubitata,
certissima, *Psalm. 19. vers. 7. & seq. Rom. 10. vers. 18. Galat. 6. vers. 16.* adeoque
42. etiam columna & fundamentum fidei, *Ephes. 2. vers. 20.* † Cùm autem
articuli Augustanæ Confessionis à nemine Romanensium ex sacrâ
Scripturâ fuerint solidè refutati, nec ullum in fundamanto fidei horum
errorem ostendere potuerint Pontificij, ipsarummet conscientiâ teste,
43. ad quam desuper provocat B. Lutherus. † quàm inique nobiscum,
hactenus egerint, hæreseosq; in simulaverint universum Evangelicorũ
cætum, ultrò perspicuum est. At nec in posterum ipsos à Pontificijs
erroris alicujus ex sacra Scriptura convictos iri, spem tàm certam,
indubitatam ac immotam fovemus, quàm certa & immota est ipsamet

sacra

ſacra Scriptura, in perpetuum duratura. † Et qui ullus ſubeſſe hîc 44.
poterit metus, cùm divinæ hujus Scripturæ exterminationem Papicolæ
exoptent? tantum abeſt, ut illam pro normâ fidei & chriſtianę religionis
ac veritatis ſint admiſſuri, non parùm ſibimetipſis exprobrantes, quod
unquam ex ſacro Codice cum Lutheranis in certamen deſcenderint,
ex quo res Eccleſiæ ſemper peſſum iverunt. Deplorat ſanè † hanc 45.
ſortem verbis notatu digniſſimis Albertus Pighius; ita enim ille: *Si
huius doctrinæ memores fuiſſemus, hæreticos ſcilicet non eſſe informandos vel
convincendos ex ſcripturis, meliore ſanè loco eſſent res noſtræ: ſed cùm oſtentandi
ingenij & eruditionis gratiâ cum Luthero in certamen deſcenditur ſcripturarum,
excitatum eſt hoc, quod, proh dolor! videmus, incendium.* in *lib.1. de eccleſ. hier.c.*4.
† Vehementius autem Monachus ille Celeſtinus, vel potius infernalis, 46.
Q. Iacob. Moroneſſa: *Egit*, ait is, *Lutherus, quod proprium eſt hæreticorum, qui
revocant omnia ad tribunal divinarum vocum: quæ cum ſint Dei oracula, neceſſe eſt,
ut ſint obſcura (quemadmodum dixit Petrus de vocibus Pauli) & quum verò ipſi
eas torqueant ad diverſos ſenſus, illis pugnant contra ſanctam Eccleſiam.* † *Non 47.
habent infelices aliud refugium, aliam rupem, aliam extremam anchoram, quàm
ſcripturam: quare ſi hanc illis adimamus, cadent & cadentes manebunt mortui &
ſepulti in perpetua reprehenſione & proprio dedecore, veluti fabuloſi gigantes. in typo
Mart. Luther*, apud Goldaſt. *in polit. imp. p.*25.*n.*4. † Ac tandem eò audaciæ 48.
progreſſus eſt Iohannes Hajus Ieſuitas Scotus, ut ſcribere non
exhorruerit, *hiſce extremis temporibus non modò imperfectam & inutilem eſſe
ſcripturam, ſed planè pernicioſam, ac proinde ex Eccleſiâ exterminandam*, referente
D. Hutter. *in loc. p.* 69. † Nihil hinc imminet periculi ex futuris 49.
Papicolarum diſputatis, cùm ſacrum repudient Codicem, fidei veræ
normam, ex quo ſolo hæretici convincendi, judicandi. Quid ergò
eſt, quod nec hodie Pontifices ceſſent, nomine hoc infami & odioſo
contra propriam conſcientiam Evangelicos inſignire? † Meræ ſunt 50.
calumniæ, quibus (3.) Principes Imperij proſcindere haut erubeſcunt,
vel ipſis etiam, qui ad ſaniorem redierunt mentem, Pontificijs eas
deteſtantibus, Caſſanp. *de offic. pij ac publ. tranquillitatis verè amantis viri.
verſ. imprimis autem odi &c.* Georg. Sigiſm. Seld. in *conſil. ſuper attentatis Pij
V. contra Imp. Ferdinandum, p.*46. † ex quibus injuria etiam non minima 51.
redundat in potentiſſimos Impp. qui non modò Evangelium à
quiſquilijs Romanenſibus purgatum ſingulari favore ſunt proſecuti,

ſed in verâ quoque fide, quam profeſſus eſt B. Lutherus, animam
51. exhalarunt, ut maximè nomen illius diſſimularint; † quo encomio jure
reveremur manes Caroli V. Imp. fratriſque Ferdinandi: De illo enim
53. hæc nobis ſuggerunt Hiſtoricorum monumenta, † quod à Doctore
Conſtantino, viro præclarè erudito ac pio, cum quo ante in ſolitudine
Hieronymianorum familiaritatem habuerat, ex dictis & ſcriptis S.
Bernhardi de juſtificatione hominis per ſolam fidem, admonitus ac
mirificè inde delectatus & recreatus, in Chriſto crucifixo ſalutis ſuæ
fiduciam unicè collocaverit, ejuſque imaginem ægrotus aliquot dies in
lecto decumbens, oculis, ulnis & ore complexus, ipſo mortis momento
54. inſtante haſce veræ fidei in Chriſto acquieſcentis voces emiſerit: † In
me mane dulciſſime Salvator, ut ego in te maneam; iiſque vix finitis
beatè obdormiverit, David Chytr. *de vita & reb. geſt. Caroli V.* Nec alienâ
fuiſſe mente erga doctrinam & confeſſionem B. Lutheri, fratrem
55. Ferdinandum Regem Romanorum, † literæ ejus, *menſe Febr. anno* 1537.
Oeniponte Wittebergam ad Lutherum miſſæ teſtatum faciunt, quibus
doctrinam illius ex verbo Dei probatam, non modò tolerandam in
Imperio judicat, ſed & eandem amplectitur, ſummaſque pro hujus
manifeſtatione ac verâ cognitione DEO gratias agit; Integrum harum
literarum tenorem refert Dn. Matthias Hoë *in Concionibus jubilæis Anno*
1617 *habitis*, & Chriſtophorus à Reydeburg, Krain & Ditmansdorf, *in
commendatione ſcriptorum Lutheri, præmiſſa ejus concionibus ſuper cap.* 14. 15. 16.
56. *&* 17. *Iohannis.* Hoſce † ergò Impp. Pontifex quando Principes Evangel.
exclamat hæreticos, parili convitio pungit, ut non abs re conqueſtus ſit
prædictus Imperij Vice-Cancellarius D. Seld, quod Papa pientiſſimi
57. Cæſaris Caroli V. manes contriſtare, ſibi temperare haut potuerit, †
cum tamen pietatis & fidei chriſtianæ teſtimonium longe præclarius
quàm ipſemet Pontifex ab univerſo obtinuerit orbe. *in alleg. conſil. ſuper
58. attentat Pij V. p.* 96. ubi porrò addit, † Papam pro more conſueto Viros
aliquos eleganter doctos & pios, eorumq; ſcripta hæreſeos inſimulaſſe
& condemnaſſe, qui tamen ab omnibus pro veris ac probis Catholicis
fuerint habiti, non aliam ob cauſam, quàm quod ſedi Romanæ uſque-
quaque blandiri, & ſuper Dei ſolium illam evehere neſciverint. *dict.
59. conſil.* Contumeliosè † ſi ita Pontifex Pius V. fidei ſuæ ſocios tractaverit,
quid mirum, quod Innocentius noſter Evangelicos parili excipiat
convitio, quo ipſo tamē eos nullius hæreſeos convincit, nec quidquam

fidei

fidei ac religionis veritati, vel etiam bonæ ipsorum existimationi detrahere valet: † quemadmodum enim famæ laudati ab eo, qui nullâ laude dignus est, parùm vel potius omninò nihil accedit, ita nec honori gravis & honesti Viri detrahitur quicquam verbis injuriosis, falsò in eum conjectis, Dan. Moller. *ad Const. Elect.* 42. *n.* 6. *p.* 4. 60.

IX.

Pergit Pontifex, & zelum pietatis aliâ exornare causâ ac prætextu satagit. † Prætendit nempe, sui esse officij, omnibus modis curare ac 61.
providere, quo fidei orthodoxæ integritas, Ecclesiæque catholicæ *Secūda*
dignitas & autoritas ubique sarta tecta conservetur, Principibus verò *quanā*
Augustanæ Confessionis liberum religionis suæ exercitium haut *causa*
permittatur, nec ipsi unà cum catholicis ad publica munia & officia, ac *impul-*
nonnullos Archiepiscopatus, Episcopatus, aliasq; dignitates & beneficia *siva.*
ecclesiastica, precumque primariarum participationem admittantur, prout verba declarationis papalis habent, *in pr. & vers. hæreticis Augustanæ, ut vocant, Confessionis &c.* † Fatemur, verba hæc egregiam primâ fronte 62.
speciem repræsentare, quibus unitatem Religionis Pontifex urget & exoptat: Fieri enim vix potest, ut diversitas sententiarum de fidei articulis pacatum Reipublicæ statum haut labefactet, hoc potissimùm † seculo, quo religione fermè utuntur plurimi sicut vestibus, quæ nisi 63.
quotidie habeant aliquid novi, non placent, Thom. Lans. *in consuet. Europ.* ut profectò nullum ferè unquam seculum feracius fuerit religionum, pietatis verò sterilius, Iust. Lips. *in præscript. pro Constant. suâ.*
† usq; adeò ut non solùm provinciæ, sed etiam civitates, & in singulis 64.
ferè civitatibus civium parœciæ, interdum & singulæ domus opinionum dissidijs inter se conflictentur, cujus rei Belgium vivum præbet testimonium, Menzer. *in triad. Disp. de Synod. Dortrech.* Quod si ergò unquam ex Politicorum monito, sanæq; rationis momento † Magistr. 65.
in Republica plures simul religiones tolerare haut debeat, Anton. Possevin. *in epist. ad Reg. Polon.* Burchard. *in autonom. p.* 1. *cap.* 19. *& seq.* Scip. Amirat, *in Tacit. lib.* 11. *disc.* 3. nequaquam hodie illas permittere tutum 66.
erit, † In quo ferventior semper erit Magistratus, qui ad Numinis divini ordinata omnes suas actiones conformare studet, postquam ipsemet Deus in politiâ Israelitica unam tantummodò vigere religionem, quin

& unicum

&unicum duntaxat templum in populo suo extare voluerit, ne diversis
67. religionibus ac cultibus implicaretur. † Nec enim Deum quisquam
sincerè & ex toto corde diliget, qui diversas simul religiones fovere
desiderat: & neutram credet, qui contrarias admittit, Tholosan. *lib.* 8.
de Republ. c. 2. *n.* 15. quod & Romanorum Legislatores probè adverterunt
68. in XII. tabb. ita caventes: † Separatim nemo habebit Deos, neque
novos sive advenas, nisi publicè ascitos, privatim colunto, constructa à
patribus delubra habento. Cicer. 2. *de lb.* Pulchrè hinc sibi placet
Pontifex, unitatē fidei ac religionis catholicæ Romanæ propugnando,
69. ad ejusque cultum homines cogendo, † cùm libertas quidvis credendi
nihil aliud sit, quàm libertas errandi in re animæ salutem concernente,
in quâ error est longè perniciosissimus ac nocentissimus. Sed causam
hanc impulsivam colorib. exornet Pontifex, quibuscunq; etiam velit,
70. † vanissima tamen ea est & simulata, quod demonstratu facilimum.
(t.) Nam si piaculum duxerit Pontifex, utramque Religionem, &
catholicam Romanam, & Evangelicam in Augustanâ Confessione
71. contentam ac demonstratam, simul in Imperio tolerari, † docere ante
omnia necessum habebit, falsam illam esse, quam tot convitijs
proscindit, pro hæresi Lutheranâ habet, & ad orcum relegatam cupit,
ne priusquam id fecerit, pro vero falsum venditet, ac vanâ persuasione
72. tot animarum millia secum ad infernum ducat. † Descendat ideoque
cum Evangelicis in arenam, & judicium ex verbo Dei revelato super
religione Romanâ, quam tot promissis, tot pollicitationibus in cælum
73. evehit, sustineat: sed quemadmodum id hactenus subterfugerit, † ita
nec porrò sibi patientur persuaderi Nostrates, fore unquam, ut libero
Concilio oraculisque divinis ac sacræ Scripturæ se submittat, quod non
frustra ex rebus anteactis suspicantur. Vix namque inficias ibunt
74. Pontificij, opus habuisse reformatione Ecclesiam Romanam, † quam
non pauci ex ipsismet avidè expetierint, prout vel ex solius Cassandri
scriptis, aliorumque monitis, quorum copiam exhibet Goldastus, satis
elucescit, quin & Papam quandoque in concilium & reformationem
consensisse, compertum quoque habemus: sed cū ad ipsum pertrexerint
75. actum, quidnam ab ijs † consultatum, quidnam conclusum? Non alia,
docebunt decreta, quàm quæ ex Concilio Basilæensi prodierunt:
Clericus curtam vestem non gerat, laxas manicas in tunica non habeat,
Cardinalis supra triginta beneficia ecclesiastica non habeat, concubinā

in

sactis constitutus nemo apertè foveat, crines ac barbam ad minus in mense semel tondeat; vel hiscé similia, h. e. anilia deliramenta, nulla prorsus de verâ ac salutari fide ac puritate religionis mentione factâ, Huldr. Zvvinglius *in suggestione deliberandi super propositione Hadriani Pontificis*, apud Goldast. *in polit. p.* 25. *n.* 1. † In dubio itaq; etiamnum hæret 76.
Pontifex, cuinam religioni debeat adstipulari, si non oracula divina pro judice ac regulâ veræ fidei agnoscere, & in conscientia convictus palmam veritati Augustanæ Confessionis tribuere velit. Num igitur studio ac proposito deliberato, vel in bivio saltem constitutus veram repudiabit religionem, ejusque exercitium aversabitur? † Tantò minus, 77.
si id attentaverit, efficiet (2.) quicquam, quantò majus subest periculum in coactione ad gremium Ecclesiæ Romanæ, violentiâ, & plus quàm tyrannicâ conscientiarum carnificinâ, quam per indirectum Pontifex hoc medio intendit, † ut si Evangelici exercitiũ religionis suæ liberum 78.
sibi haut permissum animadvertant, eò citius religionem Romanam amplectantur, & pœnæ hinc imminentis metu perculsi ad Papatum revertantur. Etsi enim Pontificij carnificinas hanc medijs quibuscunq; defensare & juvare allaborant, † unde etiam in lucem prodijt 79.
percõtatio illa fidei rigorosa, seu Inquisitio Hispanica, teste Reginaldo, Montano & Georgio Nigrino sic dicta, quod in Hispania tempore Ferdinandi Arragoniæ Regis, ac Isabellæ Regis cæperit, & postea à Sixto IV. Pontifice apostolicâ autoritate fuerit firmata, Ernest. Eremũd. *de orig. & histor. belgic. tumult. p.* 10. † apud alios quantumvis populos 80.
multum odiosa, horrenda & portentosa, Cran. *de pac. Relig. part.* 2. *probl.* 2. Ioh. Sleidan. *hist. lib.* 19. Samuel à Remching *de pace relig. dissert.* 2. ruinoso tamen, quin & impio ac pessimo nititur fundamento, † cùm liberum 81.
quiddam sit credere, imò quiddam divinum in spiritu, ut propterea nullâ vi externâ cogi possit ac debeat, benè monente Luthero *tom.* 2. *Ienens. fol.* 180. & nihil absurdius, quàm fidem in animâ, quæ Spiritus est, cogere velle, cùm assensus, qui fidei pars est, sit actus à voluntate elicitus, † ut non abs re Concilium Toletanum VI. nemini ad 82.
credendum vim inferendam fore statuerit, *can.* 36. & Carolus V. à Clemente VIII. Bononiæ admonitus, rigoroso admodum remedio Lutheranos ad pristinam cogere religionem, omnem coactionem respuerit, ne per hoc totum Imperium pessundaret, Wolff. *tom.* 2. *lect. memorab. fol.* 331. † satius namque est, aliquam habere Rempublicam, 38.

licet varijs de religione dissidijs turbatam, quàm nullam, ut nec vera
vigere queat religio, Dn. de la Nove *disc. 2. p. 77. & disc. 3. per tot.* Clapmar.
84. *de arcan. Rerumpubl. lib. 4. c. 21.* † Et quid (3.) Pontifex noviter attentat,
liberum Religionis exercitium Principibus Augustanæ Confessionis
& Evangelicis adimere? cùm id jamdudum per transactionem
Passaviensem & Pacificationem religiosam, legemque publicam
obtinuerint *Anno* 1552. *&* 1555. cujus beneficio hucusque viguit & in
futurum vigebit sacrosancta Imperij Romano-germanici majestas,
85. Syring. *de pace relig. concl.* 12. ut † non immeritò ea Germaniæ palladium
nuncupetur, sæpius per Recessus Imperij, & nuperâ Pacificatione
Osnabruccensi firmatum; quo de scitè scriptum reliquit Camerar.
Apud nos in Germaniâ Constitutio pacis in Religione à Cæsaribus &
Ordinibus Imperij sancita atque sæpius confirmata, adhuc magno
cum fructu viget, tantumque abest, si ea in genuino & vero sensu sarta
86. tectaque conservetur, seditiones & tumultus inde existere, † ut dira
bella & odia sub prætextu religionis antea excitata, multis annis
hactenus sopita sint & quiescant, *p. 1. hor. subcis.* 58.

X.

Veremur autem, objectum nobis iri argumentum, quo jam olim
Romanenses pacem Religionis convellere adnixi fuerunt, Pontificem
87. nempe † cum purpurato suo satellitio in illam haut consensisse; Eoque
si feliciter pugnaverint, procul dubio etiam de pace Osnabruccensi
prioris illius confirmatoriâ actum erit: Ac satis astutò excogitaverunt
88. id Iesuitæ, † inculpati propterea à Protestantibus in suis gravaminibus
Cæsareæ Majestati, Anno cIo Io xciv. Ratisbonæ exhibitis. Vrgent
89. namque mordicus † judicium Ecclesiæ Romanæ, quoties de Religione
disceptatur, unde nec abs re Paulus III. Pontifex Carolo V. quod falcem
in alienam misisset messem exprobrare videbatur, apud Sleidan. *lib.* 16.
histor. impr. Qui ergò consensum Papæ negligere, vel dissensum ejus
vilipêdere potuissent Status Imperij de negotio Religionis paciscentes?
90. † Strategema hoc si Innocentius noster reassumserit, rem procul dubio
ambiguam reddet, specioso rationum porrò aliatum fuco haut
91. destitutus. Quod si enim † ex vulgato illo juris, ab omnibus approbari
debeat, quod omnes concernit, qui firmiter satis consistet Pacis
religiosæ

religiosæ conclusum, Papâ si non inscio attamen invito, quem æquè id tangit, autoritate ejus, quam per multa secula à temporibus Caroli Magni in Germaniâ jam attinuerat, haut parum per eam deminutâ, ecclesiasticâ jurisdictione suspensâ, ac potestate de controversiis fidei articulis decernendi penitus ipsi ademptâ; † Non certè res inter alios 92.
acta alijs obesse debet, Dd. *in l. 47. & 63. ff. de re judic.* Cumque ridiculum sit, ut ovis quidquam circa officium Pastoris decernat, deridendum utiq; se propinare videtur, qui dixerit, Laicos vices ovium sustinentes statuere quidquam posse in causâ religionis, cujus cura ad officium Pastoris, quo Papa fungitur, spectat; † quin potius ipsi incumbit, ubi de 93.
salute ovium agitur, negotium determinare, prout bonum Pastorem decet, qui si bonus, vitam quoque pro grege sibi commisso profundere paratus erit, *Matth. 28. vers. 2. Ioh. 10. vers. 11.* Non ergò Principes, qui & ipsi sunt oves, Papâ ceu pastore suo dissentiente quidquam firmiter concludere quiverunt; † Metuendum hinc fuit, ne ipsis contingeret 94.
malum, quod Ozias olim Rex populi Israëlitici sustinere necessum habuit, leprâ percussus, quod contradicente Clero templum Domini ingressus incensum super altare adolere voluerit, *2. Paralip. 26. vers. 16.*
† Apparatu hoc argumentum dogmatis sui exornare satagunt 95.
Romanenses, in cujus resolutione multum sollicitus fuit Iacobus VI. magnæ Britanniæ Rex *in suâ apologia*, & post Georg. Sigism. Seld. *in consilio ad Imp. Ferdinandum.* Paræus *in tract. de jure regio pro Sereniss. Britanniæ Reg. scripto.*

XI.

Nos sensu suo † quemlibet abundare patimur, & quæ theologicè 96.
proponuntur, judicio Theologorum orthodoxorum reservamus; politicè autē quò difficultatis nubem, quæ eâ de re plurimos involvit, discutiamus, triplici libramento argumentum, illud declarandum existimamus. (1.) † Namq; omnem vitari volumus confusionem inter 97.
potestatem circa res ecclesiasticas, negotiumq; religionis internam & externam: Illam autem nuncupamus, quæ consistit in prædicatione verbi divini, administratione Sacramentorum, & verâ ac genuinâ sacrarum Scripturarum explicatione; † externa verò curam & 98.
conservationem veræ Religionis, nec non Ecclesiæ defensionem

 concernit,

concernit, Seld. *in alleg. consil.* David Paræus *ad cap. 13. Roman. dub. 5. propos.* 8. Illa ad Pontificem, Sacerdotes & reliquos Ecclesiæ ministros: Hæc verò ad Cæsarem & Principes christianos pertinet, Paræ. *in tract. de jure Princip. contra Pap. fol. 72. & dict. cap. 13. ad Roman. fol.* 1392. Besold. *lib.*
99. *1. polit. cap. 4.* (2.) † Deinde circa negotia ecclesiastica potestas Pontificis ita est constringenda, ne reliqui in universum Episcopi, Prælati, Ecclesiæque ministri ab eâ excludantur, quo de notabiliter Vice-Canc. Imperij D. Seldus, ipsemet pontificius: Ex fundamento, inquit, si res decidenda, soli Pontifici potestas ecclesiastica nequaquam competit,
100. † sed habet is eam in communione totius Ecclesiæ, imprimis verò unà cum omnibus catholicis Episcopis, Prælatis, reliquisque animarum pastoribus, *dict. loc.* additque probationem manifestam hiscé verbis:
101. Probatur hoc † ex dicto Pauli relato *Act.* 20. ubi ait: Attendite vobis & universo gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Hinc D. Augustinus *in tract. super Iohannem*, super illud dictum Christi Salvatoris: Quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: si hoc, inquit, Petro tantùm dictum est, non hoc facit Ecclesia; Si autem & in Ecclesia fit,
102. utiq; quæ in terrâ ligantur, & in cœlo, &c. Et † paulò infra: Si ergò hoc in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit, ut habetur *in can. quodcunq. 24. quæst. 1.* Et D. Hieronymus
103. dicit, quod † domus Dei acceperit claves, & potestatem ligandi ac solvendi, ut habetur *in can. omnibus ead. caus. & quæst.* Ipsemet quoque concedit, quod Christus dederit claves Ecclesiæ Apostolis eorumque successoribus, *in cap. firmiter. extr. de summ. Trinit. & fide cathol.* Divus porrò Ambrosius, loquens de muliere, quod propter reverentiā episcopalem
104. debeat habere tectum caput, addit rationem, † quia Episcopus habet personam Christi, qualis ergò ante judicem Christum, ita ante Episcopum sit, quia Vicarius Dei est, *in can. mulier debet 33. quæst. 5.* ibique Glossa, dictum de Episcopo, de quolibet intelligit Sacerdote; quo etiam non malè quadrat, quod inter sacras Ecclesiæ cantiones in præfatione
105. de Apostolis omnibus ita canitur: † Quos operis tui Vicarios eidem contulisti præesse pastores, &c. Et Augustinus *in lib. de agone* CHRISTI: Quod Petro, inquit, dicitur, Pasce oves meas, ad omnes Apostolos dicitur. Ac tandem D. Anacletus, qui fuit quartus post Petrum papa & martyr, hisce verbis: Cæteri Apostoli cum Petro, pari consortio

honorem

honorem & potestatem acceperunt ; Et paulò post : Ipsis quoque decedentibus, in locum eorum successerunt Episcopi, *in can. in novo. dist.* 23. Firmiter† ex hiscè colligit Abbas, quod fundamentum jurisdictionis 106.
non sit in solo Petro, sed in totâ Ecclesia universali, *in tract. de Concil. Basil. q.* 2. Seld. alleg. loc. Vnde potestatem jurisdictionalem, si qua Pontifici competat, non ipsi solummodò, sed omnibus simul Episcopis, Prælatis & pastoribus ; & sic toti Ecclesiæ concessam fuisse ; ex jure pariter canonico & propria Pontificiorum confessione ubertim clarescit. Ac (†) potestas illa Pontificis, quam sibi in rebus ecclesiasticis & negotio 107.
Religionis arrogat , restringenda est ad provincias Italiæ suamque diœcesin , cui ut Episcopus præest ; nec enim saniores Pontificij prærogativam Papæ super universam extollunt Ecclesiam ; sed eam ad suam particularem ecclesiam † restrictam cupiunt, quod ex decretis 108.
Conciliorum quoque & jure canonico probare haut difficile est ; Ita namque in Concilio Antiocheno ordinatum legimus : Nullum Episc. audere debere ex alia provincia ad aliam transitum facere & ordinare aliquos in Ecclesijs, aut proferre ad sacrum ministerium ; Nec ab alijs illuc trahatur Episcopus, nisi fortè per literas rogatus abierit; Et postea:
† Quod si nullo invitante inordinatè superveniat , & aliquos vel 109.
ordinare præsumserit , vel quoslibet actus illi Ecclesiæ competentes, qui ad se minimè pertinent, usurpare tentaverit, vacua quidem & inania erunt omnia quæ gesserit , ipse verò hujus indisciplinati ausus & irrationabilis cœpti divinas pœnas expendat. † In eoque Concilio & 110.
illud porrò est sancitum : Ne Episcopus in aliam irruat civitatem, quæ illi probatur non esse subjecta ; neque in regionem , quæ in ejus curâ minimè noscitur pertinere, *Auct. Papatus Romani in scripto Londini anno* 1617. *edito* , *cap.* 2. *p.* 27. † Quò & facit illud Calixti 1: Primates, 111.
Metropolitani & Episcopi nihil extra eorum provincias & diœceses agant, nec ordinent, nec judicent, ut ab Apostolis & Patribus statutum fuit, *can. nullus primas* 9. *quæst.* 3.† Ac ne quisquam Pontificem exceptum 112.
arbitretur , satis manifeste illum comprehendit : B. Petrus, inquiens, post ascensionem attendens , quod aucto grege solus custodiæ gregis salubriter providere non poterat, gradus Patriarcharum , Primatum, Archiepiscoporum, autoritate CHRISTI instituit atque distinxit, *in suâ*
Extravagante contra Marsilium de Padua , † Et Leo X. *anno Domini* 1513. *in* 113.
Concilio Lateranensi sess. 10. Post CHRISTI ascensionem Apostoli per

singulas urbes atque diœceses Episcopos distribuerunt, in partem solicitudinis vocando, & onera gradatim distribuendo per Patriarchas &c. Aut. Papat. Rom. *dict. cap.* 2.

XII.

114. Quibus ita positis, † absque ullo negotio & difficultate dilui poterit argumentum Iesuitarum cum omni suo apparatu, quo Pacem Religionis & per necessariam consequentiam, confirmationem ejus in Pace Osnabruccensi repetitam, eunt destructum. Regressum enim si faciamus ad libramentum *primum*, extemplo videbimus, internam potestatem ecclesiasticam à Pontifice confundi cum potestate externâ
115. Imperatori competente circa Ecclesiæ curam: Nec enim † vel in Transactione Passaviensi Anno 1552. nec in subsecutâ Pacificatione religiosâ año 1555. ulla aliqua de articulis fidei suscepta fuit disceptatio, sed solummodò parti utrique, catholicis-Romanis & Evangelicis
116. liberum religionis suæ exercitium est permissum; † q. ipsum postquam statum Ecclesiæ pacatum & quietum concernit, Imperatori potius quàm Pontifici vigilandum fuit, ne dissidijs internis ac perpetuis Ecclesia pessundaretur, quare adsensu Statuũ Imperij, haut consideratâ potestate internâ, quam sibi Pontifex arrogat, omni jure per legem
117. Pacis religiosæ publicam ijs occurrere potuit. † Cumque ex libramento nostro *secundo* potestas illa, quam in negotio religionis sibi soli sumit Pontifex, toti Ecclesiæ competierit, non est quod de dissensu ejus anxij
118. simus, cùm † postquam tot Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, aliæque personæ ecclesiasticæ Comitijs Augustanis & deliberationi de Pace religionis interfuerint, suumq; ei præbuerint votum & adsensum; ex
119. quo tutò inferendum, † Ecclesiam quoq; ab ipsis simul repræsentatam consensisse, ut profectò unius solummodò membri, Pontificis nempe (qui falsò caput totius Ecclesiæ se jactitat.) votô nequaquam fuerit
120. opus, licet etiam non penitus defecerit, † nam ut Scævola ait ICtus: quod major pars fecit, pro eo habetur, ac si omnes fecissent, *in l quod major 19. ff. ad municip.* & ex lege Romanorum, de qua Cælius apud Ciceronem
121. *lib. 5 epist. 8.* quod major pars judicat, ratum habetur. † Eò minus verò, si quod *tertiò* apposuimus, benè perpendamus, dissensus Pontificis pacificationi religionis ullum inijcere valet obicem; postquam enim officium

officium ejus in Italia determinatur, neq; id alibi in Germaniâ exercere ipsi fas est de jure canonico, perinde ut nec reliquis Episcopis, Presbyteris, Prælatis, alijsq; ecclesiasticis, *cap. ut dominicis 2. extr. de parochijs & alien. parochian.* † nil validè Papam contradictione aut dissensu suo egisse, vel Pacem religionis ambiguam fecisse, fatebitur quisquis, restrictionem hanc jure etiam canonico & Conciliorum decretis firmatam deprehendens. Vnde manifestũ, robore suo Pacificationem religiosam constare, licèt nunquam à Pontifice fuisset probata, † cujus tamen ratificationem accessisse tandem, autumant Politici quidam, vel quòd legitimè nunquam & solenniter contra eandem tempore justo fuerit protestatus, ut arbitratur Limn. *lib. 1. jur. publ. c. 13. n. 27.* vel ut alij existimant, † quod postremis Comitijs, Nuncium suum in secretiore instructione suâ jusserit apud Cæsarem instare, ut Protestantes quidem ecclesiasticis bonis à se hactenus possessis uti frui sineret, sed ulteriorem molestationem præcaveret. 122. 123. 124.

XIII.

Zelum, quem Pontifex prætexit, ulterius simulare studet, † tertiam instituti sui causam adducens impulsivam, eamq; in declaratione suâ nullitatis sæpius urgens, se nempe assertorem seu curatorem jurium ac bonorum ecclesiasticorum à Deo esse constitutum, ne detrimenti aliquid Ecclesia sustineat, propterea pro commissi ex alto sibi pastoralis officij debito, providendum ipsi esse, ne jura illa & bona abalienentur & distrahantur, aliudvè præjudicium ac damnum rebus ecclesiasticis attrahatur, cæteroquin si in creditâ hac administratione negligentiæ arguatur, se aliquando villicationis suæ rationem supremo Iudici esse redditurum. † At vana & hæc est causa impulsiva, & pulchrè simulat illam Pontifex, quo directorium in curâ religionis Imperatori vel penitus auferat, vel saltem suspectam reddat, illumq; in jure suo turbet. Nec enim facilè quemquam sive Politicorum sive Theologorum orthodoxorum fore arbitramur, † qui litem hâc de re Magistratui politico ac summo Principi movere ausit, utrâque potius manu curam religionis Ecclesiæque defensionem non minus quàm justitiæ administrationem ejus officio adsignans, Ioh. Gerhard. *tom. 6. locor. de magistr. polit. §. 165. & seq.* Balth. Meisner. *part. 3. philos. sobr. sect. 2. c. 2. q. 1.* 125. *Causa impulsiva Pōtificis tertia quanā?* 126. 127.

Henr.

Henr. Höpfner. *in Saxon. evang. sect. 1. part. 3 c. 1.* Goldast. *tom. 3. Const. Imper.*
128. *p. 34.* Besold. *lib. 1. polit. c. 4.* Syring *de pace relig. concl. 12. lit. b.* Idque † jure
rerum sacrarum, quòd ad summum pertinet imperium, & propterea
jus Majestatis ecclesiasticum nuncupatum, Arnold. Clapmar. *lib. 1. de
arcan. Rerumpubl. cap.* 15. ut hinc non modò veteres id sibi vendicaverint
Magistratus, prout scitè docet & ex antiquitate deducit Ann. Robert.
129. *lib. 3. rer. judic. c. 1.* sed & † Principes successores absque ulla turbatione
fuerint eô usi, habentes pleriq; sacerdotij & regni munera conjunctim,
Tholosan. *lib. 8. de Republ. c. 2. n. 6.* Besold *de majest. sect. 2. c. 1. n. 4.* Arnis. *de
130. exempt. clericor. c. 1. n. 4.* † veluti quoque Impp. Romanos hanc ipsam ob
causam Pontificis titulo fuisse honoratos, testis est Isidor. *in c. 1. dist. 21.
vers. unde & Romani Impp. Pontifices dicebantur, &c.* quo de prolixè disserit
Goldast. *in præfat. tom. 3. Constit. Imper.* ubi inter alia refert ex actis Concilij
Chalcedonensis edictum, quo illius decreta hac præscriptione fuerint
131. approbata: † Impp. Cæsares Flavius, Valentinianus, Pontifex, Inclytus,
&c. & Flavius Marcianus, Pontifex inclytus, &c. In cujus Synodi etiam
acclamationibus non defuisse eidem Marciano Augusto hasce Patrum
voces: Pio & orthodoxo Imperatori, Pontifici Imperatori; additque
porrò ex veteri quodam monumento antiquarum inscriptionum
illam; Dn. Cæsar Iustinus, Pius, Felix, Victor, Triumphator, semper
132. Augustus, Pontifex maximus. Vnde † & morem illum hodie in
Imperatoris inauguratione plerumque servari solitum, inolevisse ait,
ut Aquisgrani post consecrationem & præstitum juramentū Imperator
albâ vestiens in album Canonicorum S. Petri accipiatur, hocque modo
canonicus fiat ac recipiatur, Goldast. *dict. loc.* † Atq; hinc Maximilianum
133. I. Imp. conjungendi cum Pontificatu Imperij cogitationem aliquando
suscepisse, meminit Warem. ab Erenberg *de subsid. regn. c. 1. n. 12.* idemq;
ex epistolâ ejus ad Paulum de Lichtenstein, consiliarium suum scriptâ
refert Kirchner. *in morviller. lib. 1. c. 12. n. 24.* Iure autem & non ausu
temerario curam & protectionem Ecclesiæ, rerumque sacrarum
134. administrationem in se recipere Magistratum, non inficiabitur, † cui
ignota haut sūt oracula divina, quib. nuncupatur nutritius Ecclesię, *Esai.*
49. constitutus ad muros ejus ædificandos, *Esai. 60.* & ad restaurandas
templi ruinas, 2. *Reg. 12. vers. 3.* nec non pastor populi, *Esai. 44. v. 28. Ierem.*
135. 49. *vers. 19.* † Quod nec diffessus est ipsemet Pontifex Gregorius V.
Regimen Romanæ Ecclesiæ, inquiens, concessum esse Teutonicis, ut

secundum

secundum Isidorum Principes seculi cognoscant, se Deo reddituros rationem propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt, nam sive augeatur, sive solvatur pax Ecclesiæ, ille ab eis rationem exiget, qui illorum protestati tradidit suam Ecclesiam, *in can. Principes* 23.*q*.5. Et † si vel piorum duntaxat Magistratuum vestigia premere 136.
velint, nil quidquam curæ circa Ecclesiam & religionis negotium intermittent, nec à Pontifice eripi sibi patientur; Ita enim fidelem se præstitit administratorem rerum sacrarum Iosua, fœdus cum Deo renovans, *Ios*.24. David, non solùm arcam fœderis in civitatẽ reducens, 2.*Samuel*.6.*vers*.12.1.*Chron*.16.*vers*.12. sed & constituens, ut juxta altare starent cantores & dulcia ejus cantica sacra decantarent, *Eccles*.*c*.47.*v*. 11. Ezechias, æneum serpentem conterens, 2.*Reg*.8. ac reformationem templi & cultus divini instituens, 2.*Chron*.29.*&* 30. † quorum exempla 137.
jam olim quoque Impp. Romani magnifecerunt, omni studio ea imitantes, inter quos haut postremi fuerunt Grat. Valent. & Theodos. *in l*.1.*C*.*de summ*.*Trinit*. Martianus *in l* 4.*C*.*eod*,*tit*. Leo *in Novell*. *suâ* 15.*&* 17. Iustinianus *in Nov*.123.*c*.32.*&* *Nov*.137.*c*.6. certò credentes, † potestatem 138.
politicam sibi non tantummodò ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, Hugo Grot. *in piet*. *Ordin*. *Holland*. Nimirum quia Magistratui à Deo utriusque tabulæ cura & custodia est commendata, quarum prior circa spirituale, posterior autem circa Ecclesiæ bonum civile versatur, *Deutor*. 17. *&* *Ios*. 1. † Magnum inde officij probè gesti encomium meruere apud 139.
gentem suam Reges Francorum, qui ad coërcendum & refrenandum abusus religionis & supergressiones ecclesiasticorum ipsorumque Pontificum Romanorum, jam supra annos plus quàm mille multas leges & edicta sancivere, Molin. *de monarch*. *franc*.*n*.99.*&* *n*.139. Estienne Pasquier 3.*de Recherches*. *cap*.27. Fortiori autem jure Impp. Romano-germanici † curam hanc ecclesiasticam suscipiunt, juramento hodie 140.
ad eam obstricti, quod præstare consueverunt super legibus ac conditionibus in electione sibi præscriptis, quarum omnium prima est, quod Rempubl. christianam & Ecclesiam Romanã tueri ac defendere velint, Sleidan. *lib*. 1. *comm*. *p*.28. † unde etiam Advocati & protectores 141.
Ecclesiæ vocantur, *Recess*. *Imper*. *de anno* 1518. 1541. *&* 1530. quæ protectio cultum quoq; religionis & administrationem Ecclesiæ comprehendit, prout scitè hoc explicarunt Archiepiscopus Moguntinus & Trevirecus

in electione Caroli V. Casp. Ens *de elect. & inaug. Reg. Rom. c* 5. Sleidan. *cit. loc.* nec aliter B. Lutherus id intellexit, confugiens ad Imperatorem Carolum V. tanquam ad aram præsidiumque, ac rogans illum, ut doctrinæ christianæ tutelam suscipiat, apud Sleidan. *lib. 2. comm.*

X I V.

142. Iure † ideoque Magistratus cùm Imperatori cura Ecclesiæ & religionis incumbat, quo titulo Pontifex eam sibi vendicabit? Non certè alio, quàm titulo pro possessore, qui non magis ipsum juvabit, quàm prędonem, dominum in verâ ac legitimâ possessione turbantem,
143. remque alienâ ausu temerario occupantem, † quem rursus possessione dejiciendum omnia concedunt jura, *l. si quis ad se fundum. C. ad L. Iul. de vi publ. cap. in literis. cap. ex conquestione. cap. conquerente. extr. de restit. spoliat.* ubi Canonistæ, *cap. ad Ecclesiam. extr. de caus. possess.* Periculum hoc ne Papa
144. subire cogatur, nec juris sui præsumpti naufragium sustineat, † anxij sunt Curiæ Romanæ officiales, jus hoc ecclesiasticum, rerumque sacrarum curam Imperatori ac Magistratui politico saltem ex privilegio Papæ concedentes, Gloss. *in c. in synodo. in fin. dist.* 63. vel exercitium ejus
145. hoc prætextu labefactantes, † quod publico Magistratus officio nequaquam conveniat sacra tractare, cùm nec sensus exercitatos habeat in Scripturis, nec de verbo Dei dextrè semper judicare queat, quin & quod Magistratus secularis sit de numero ovium, non pastorum, veluti ipsemet confessus est Lutherus *tom.* 2. *contr. art. Lovan.* quo in argumento copiosi sunt Bellarm. *lib* 1. *de Pontif. Roman. c.* 7. & *lib.* 3. *de Laic.*
146. *c.* 17. & Stapletong *repetit. scholast. contr.* 2. *q.* 5. *art.* 1. Sed neutrũ † stationem Pontificis securam reddit; nec enim jus Majestatis Ecclesiasticum Imperator sedi Romanæ acceptum refert, sed ex potestate Regiâ à solo Deo sibi concessâ, id se exerecere publicè profitetur lege in *Recess. Imp. de*
147. *anno* 1544. 1445. & 1548. † Quod si enim omnium ferè gentium voto, sine Religione, quę fulcrum Reipublicæ habetur, ad optatum regiminis finem ac salutem populi haut deveniri queat, Iust. Lips. *in lib. advers. Dialogist. Campan. de monarch. hispan. c.* 5. dubium inde relinquitur nullum,
148. quin Imperio divinitus & immediatè Principi concesso, † potestas simul religionis immediatè ad ipsum à Deo pervenerit, *arg. l.* 2. *ff. de jurisdict.* Quo jure etiam Reges Israëlitici curam Religionis gesserunt? nullibi

nullibi sanè alterius beneficio, nec aliter quàm titulo Magistratus ipsis eam divinitus competiisse legimus : Haut minorem verò hodie ac inferiorem potestatem esse Imperatoris & Principum christianorum, multis sacræ Scripturæ testimonijs & autoritatibus firmat Georg. Cassander, & ipse Catholicus Romanus, *in consultat. ad August: Confess. art. 16.* † Quod verò ad argumentum Bellarmini & Stapletoni attinet, 149.
nucleus statim in fumum abibit, si regrediamur ad temperamentum distinctionis, inter externam & internam potestatem ecclesiasticam, cujus suprà *Posit.* 11. mentionem fecimus; nequaquam enim Magistrat⁹ politicus sibi arrogabit † quidquam potestatis internæ, ad quam spectat 150.
verbum prædicare, Sacramenta administrare, pœnitentes absolvere, impœnitentes ligare, quorũ executio Ecclesię ministris est relinquẽda; eoque intuitu Princeps verè dicitur ovis, non pastitur, ab externa verò ecclesiastica potestate excludendus non est Magistratus, † quippe quæ 151.
toti competit Ecclesiæ, & per consequens etiam Magistratui ceu membro principaliori ac directori, cui etiam maximoperè incumbit defendere Ecclesiam & curare, ut verus in eâ vigeat cultus, ministri Ecclesiæ suum faciant officium, & ne in doctrinâ vel moribus aberrent, perinde ut subjectos cives, qui † vel artem liberalem profitentur, vel 152.
opificium exercent, in suo continere debet officio, licet ipsemet nec opificij, nec facultatis cujusdam professioni se immisceat; Eamque distinctionem jamdudum approbasse legitur Constantinus Imp. in responso Episcopis dato: Vos, inquiens, estis Episcopi in Ecclesiâ; ego verò extra Ecclesiam seu templum Episcopus à Deo sum constitutus: apud Euseb. *lib. 4. c. 24. de vitâ Constant.*

XV.

Cumque Bellarminus hinc animadvertit, † dubiam relinqui 153.
Pontificis potestatem circa Religionis & Ecclesiæ curam, alio dogma suum defensare telo allaborat, curam & protectionem Ecclesiæ, quam Magistratui tandem largitur, certis includens cancellis, ita ut defensio illa sit tantummodò directa contra fraudes, turbas & mala externa Ecclesiæ imminentia, *lib. 3. de membr. Eccles. mil. c. 18.* † Sed restrictionem 154.
hanc minimè probat, nec placuit ea Augustino, id officij à Magistratu exigenti, ut non solummodò mala præcaveat externa, sed omnib. etiam

modis provideat, ut ab hostibus internis Ecclesia sit secura, vel ex hoc unico fundamento, quia ad Reges seculi christianos pertinet, pacatam conservare matrem suam Ecclesiam, *in tract 2. in Iohann.* At gravius aliunde periculum vix pertimescendum habebit, quàm ab hostibus internis, quibus si obviam ire neglexerit Magistratus politicus, parùm
155. officio suo satisfecisse videbitur, Besold. *lib. 1. polit.* 4. † Quicquid ergò mali ex falso DEI cultu, impurâ religione, ritibus & officijs ecclesiasticis malè ordinatis ac dispositis, legibus & presbyterijs clericorum, scholarum corruptione, vitijsque Oeconomiæ ecclesiasticæ contingere Ecclesiæ potest, id præcavendum, corrigendum & abolendum à Principe & Magistratu politico, si fideliter officium suum administrasse videri velit, prout fusè ex sacrâ historiâ demonstrat Par. *ad cap.* 13.
156. *Romanor. dub.* 5. *propos.* 8. atque hinc † de rebus & negotijs ejusmodi ecclesiasticis prodierunt Rescripta, tot sanctiones Impp. *l.* 1. *&* 4. *C. de Episc. & Cler. l.* 30. *l.* 31. *C. eod. tit. Novell.* 123. *c.* 1. *c.* 10. *& c.* 32. *Novell.* 137. *c.* 6.
157. ac passim. † Nequaquam ergò Imperatori vel Statibus Imperij vitio vertendum, quod curam hancce religionis & administrationem Ecclesiæ Pontifici hant unquam fuerint largiti, sed sibi jure Magistratus reservaverint, in tantum, ut nec Calendarium novum Gregorianum Anno 1587. passi fuerint, quicquid etiam de veritate à Pontifice
158. publico diplomate intimatum, recipi ac introduci politica & mathematicâ perhiberetur, † ne forsan autoritati suæ prejudicium inferrent, vel de curâ & ordinatione festorum feriarumque in rebus ecclesiasticis, Papæ quidquam relinquerent, ut maximè aliàs nulla inde pertimescenda fuissent incommoda & confusiones, de quibus videri potest B. Lutherus *tom. I. Ienens.* 7. *fol.* 249. Andr. Gail. *in epist.*
159. *quâdam, adducta à* Syring. *de pace relig. concl.* 32. *lit. A.* Reinking *de regim. secul. & eccles. lib.* 3. *class.* 1. *c.* 2. *n.* 26 *& seqq.* † eamque rationem potissimum ursit D. Augustus Saxoniæ Elector; ab Imperatore enim, cùm anno 1582. perlatum ad ipsum esset per Madrucium Cardinalem Tridentinum, novum Calendarium, Elector consultus desuper prolixâ oratione ostendit, non solùm omnis generis difficultates & confusiones in judicijs, literis contractuum & alijs negotijs secuturas, sed imprimis Cæsareæ Majestatis & SS. Romani Imperij autoritatem, reputationem & superioritatem hoc ipso violari, Matth. Stephan. *de jurisdict. lib.* 2. *p.* 1. *c.*
160. 1. *membr* 2 *n.* 107. & parile Wilhelmi Hassiæ Landgravij votum refert Thuan. *lib.* 76. *histor.* † Eodemq; potestatis ac Magistratus politici jure, Status

Status ac Proceres Imperij Romani, cùm viderent, turbatum Ecclesiæ statum Concilio egere, non Pontificem, sed Imperatorem adeundum decreverunt *in Recess. Imp. Augusti de anno* 1525. Cumque Pontifex per nuncium Vergerium Statibus Imperij persuadere voluerat, potestatem indicendi Concilium ad se spectare; † illi in conventu Smalcaldico 161.
anno 1535. Cæsaris & reliquorum Ordinum esse, interponere jus suum in Concilijs, protestati sunt. Idemque à Rege Galliæ responsum, Pontificem aliquando tulisse, meminit Sleidan. *lib.* 9. *histor.* Hocque jus Imperatoris & Magistratus politici tantò majori constat firmitate, † 162.
quantò certius id exemplis redditur, quibus & ipsimet Curiæ Romanæ homines convicti inficias haut eunt, Concilia Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense ab ipsomet Pontifice Gregorio scriptis quatuor Evangelistarum æquiparata, *c. sicut is. dist.* 15. ab Impp. Constantino Magno, utroq; Theodosio, seniore ac juniore, nec non Martiano fuisse indicta & congregata, *c. canones: c. sancto. dist.* 15. *c. habeo librum. c. quoniam dist.* 16. † plura adducunt exempla 163.
Vice Cancellarius Imperij D. Seld. *in consilio sæpius alleg.* Osiand. *in Papa non papa. tit. de concil.* 12. Thuan. *lib.* 75. *histor.* Treutl. *consil.* 110. *n.* 104. idemq; ex actis Concilij Chalcedonensis satis liquere, firmat Georg. Cassander *in consult. ad August. Confess. art.* 16. Et si ulteriùs progredi lubescat non modò potestatem Concilia convocandi, sed & † in ijs 164.
præsidendi, illaq; dirigendi officio Magistratus, Cæsari competere, absque ulla hæsitatione affirmabit, qui, quid in Comitijs Imperij *anno* 1526. 1529. 1544. de hoc deliberatum & conclusum, perpenderit. Frustra ideoque Pontifex hanc potestatis Regiæ particulam sibi arrogat, de qua nec gloriari valet, si forsan ex speciali indultu voluntatem & ordinationem Imperialem in Concilio convocando fuerit executus,
† quod aliquando vel ex quadam Zelotypiâ pontificiæ Religionis & 165.
veneratione Pontificis, vel alia ex causa factum, conijcere licet ex *Recess. Imp. de anno* 1524. 1532. *&* 1551. eandemque functionem suâ sponte olim commisit Episcopis Imp. Fredericus I. in Concilio Papiensi eos sic alloquens: † Quamvis noverrim, officio atque dignitate Imperij penes 166.
nos esse potestatem Conciliorum congregandorum (hoc enim & Constantinus & Theodosius, nec non Iustinianus seu recentioris memoriæ Carolus Magnus & Ottho Impp. fecisse memorantur :) negotium tamen hoc vestræ prudentiæ, vestræq; potestati committo, Radevicus Frisingensis *de gestis Frederici I. Imp. lib.* 2. *c.* 56. Gunther. *lib.* 10.

 Ligurin.

167. *Ligurin* : † Parili ex fundamento & jure Magistratus politici, Legum ecclesiasticarum promulgatio ad Imperatorem spectat, quod nō modò ex sacro addiscere est Codice, si quid Reges Israëlitici fecerint, observemus, 1. *Paral*.23.*verf*.6.2.*Paral*.19.*verf*.8.*& c*.20.*verf* 3. sed & exempla Impp. Romanorum, quæ nobis suppeditat jus civile *in Cod tit. de summ. Trinit. & fide cathol. tit. de SS. Eccles. tit de Episc. & Cler tit. de haret. & manich. Nov*.6.*Nov*.137.*c*.6. ubertim hoc firmant, ut verè scripserit Glossa
168. Decreti : † Imperatores amplius 800. à nativitate CHRISTI annis, Leges de rebus ecclesiasticis tulisse, eisq; Ecclesiam obedivisse. *ad dist*.84.
169. idemq; perhibet testimonium hac de potestate Imperatoris Molin : † Sanctam Ecclesiam catholicam obedivisse Imperialibus legibus de rebus civilibus latis non solùm quoad res politicas & externas, sed etiam quoad fidem & religionem, eo ꝙ à verbo DEI non discreparent, sed juxta illud & ad doctrinam Evangelicā purè & sincerè conservandā latæ essent, ut temporib. Constantini M. Theodosij senioris & junioris, Martiani, Leonis I. per ducentos annos ante Iustinianum, testantur omnes illorum temporum historiæ, etiam ecclesiasticæ, & scripta antiquorum Ecclesiæ Doctorum, ut ea res prorsus indubitata, inconcussa & luce clarior plus octingentis annis fuerit. *in orat. Tubingæ*
170. *anno* 1554.*habitâ*. † Propius ut ad rem accedamus, bonorum quoque ecclesiasticorum dispensatio; quam Pontifex in declaratione hac nullitatis falsò sibi competere contendit, Imperatori ac magistratui politico jure officij sui defertur, veluti non modò Gerhard. ex sacra historiâ deducit, *in loc. de Magistrat. polit*. §.190. sed & Impp. exempla satis hoc probant; nunquam non enim soliciti fuerunt Principes ac
171. Imperatores christiani † de administratione rerum bonorumque ecclesiasticorum, prout videre est *in l*.22.*C. de SS. Eccles. l. jubemus* 14. *cum Auth seq. C. eod. tit*. Bursat. *consil*. 42.*n*.1. Hier. Schurff *cent*. 1. *cons*. 48. Cothman. *respons. acad*. 27. Hieron. Treutler. *cons*.85.*n*.20. curæ suæ existimantes incumbere, ut omnibus provideant viribus, † ne cum damno Ecclesiæ bona illa distrahantur, Laur. Ohm, *in tract. de jure Episcop*. § 17.*lit.d*. Ex quibus apertissimè liquet, quàm sinistrè agat Pontifex cum Imperatore, quàm astute causas attentati sui simulet impulsivas: quàm vanissimè curam Ecclesiæ sibi arroget: quàm pessimè Magistratū politicum in jure hoc turbet. Vindicet injuriam hanc Angelus pacis æternæ.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Triplicis erroris manifestat gravitatem.

XVI.

VEteratorio hactenus more Pontifex zelum pietatis pompose 1.
admodum jactavit, nobisque persuasum voluit, triplici eum fuco
exornatum repræsentans. Nunc in scenam prodit magnifico, ut sibi
videtur, argumentorũ apparatu contra Principũ ac Plenipotẽtiariorum
acta instructus, quibus si illa pupugerit, Pacem nostram haut levem
sustinuisse jacturam, simpliciores inficias haut ibunt. † Et si verò copiâ 2.
argumentorum passim in Edicto nullitatis declaratorio multum
superbit, suppressis tamen, si alia habeat, reliquis & in mente retentis,
non nisi tria urget, erronea tamen omnia, si seriò, quod vix credimus,
ab eo fuerint prolata, quorum aculeos ut excipiamus, scutum
nequaquam deficiet. † *Primò* omnium verò graviter in Pacificatores 3.
Serenissimos ac Illustrissimos invehitur, quod ordinationem & numerũ *Primus*
Septemvirorum Electorum, apostolicâ autoritate præfinitum, sine *Ponti-*
ipsius ac sedis Romanæ beneplacito turbare ausi sint. † Ita scilicet juri *ficis*
suo & Antecessorum autoritati institutionem Septemvirorũ vendicare *error.*
studet, & hoc ipso originem Electorum non Imperatori & Imperio, sed 4.
Papæ acceptam referri jubet : quod dogma jam vetustate sepultum
resuscitat, ope suorum fidelium haut destitutus, † inter quos principalẽ 5.
se præstitit Bellarminus, institutionem Electorum tempore Otthonis
III. Imp. à Pontifice Gregorio V. factam, tàm fusè contendens, ut in ejus
disputationis gratiam integrum conscripserit librum, quo plurimorum
oculos ita perstrinxit, ut in hanc ipsam quoque sententiam
ambobus iverint pedibus, † à vetustioribus quibusdam Historicis non 6.
parùm adjuti, prout ex Thoma Aquin. Lupold. de Bebenburg. Alberico
de Rosate, Rudolpho de Columna, Canonico Carnotensi, Ioh.

Baptista

Baptista Platina, Petro de Andlovv. Ioh. Villan. Florentin. Anton. Bonfinio, Ioh. Cuspiniano, alijsque copiosè firmat Melch. Goldast ab Haimsfeld *lib. 3. Bohem. cap. 6.* à quorum judicio nec ipsemet penitus
7. recedit. † Ajunt nempe, cum Imp. Ottho III. Gregorium V. Romanum Pontificem, sibi natione & affinitate conjunctum, à populo Romano, consule Crescentio ejectum, vi atq; armis pristinæ dignitati restituisset, Pontificem, quo illius merito parem referret gratiam, ac sibi deinceps tantorum Principum favorem conciliaret, magisque devinciret, † vel
8. quod alij malunt, Pontificis saltem suasu, approbatione & autoritate ipsum Otthonem sanctionem tulisse: Ne Imperatorum quisquam hereditariam faceret dignitatem, sed Principes sex, sacri Ordinis tres, profani totidem, eum deligerent, & si discordes fuerint, Bohemiæ Regem cooptarent, quam sanctionem refert Goldast. *tom. 3. Constit.*
9. *Imper. pag. 371.* Petr. Bizar. *lib. 23. histor. Genuens. p. 554.* † Cumq; ruinam dogmati huic minari videantur monumenta Ecclesiæ Aquilegiensis, in quibus memoriæ proditum legitur, sanctionem de Septemviris Electoribus ab Henrico II. Imp. & Sylvestro II. Papa originem suam traxisse, quod & deosculatur Marsilius de Menandrino Paduan. *de translat. Imper. c. 11.* Nicol. Cusan. *lib. 3 de concord. Cathol c. 3. & seq.* Matth.
10. Palmer *in Chron. anno* 1004. † periculũ hoc declinare vulgò sic gestiunt, ut Papa Sylvester electionem primam juxta sanctionem à Gregorio factam tantummodò approbasse dicatur, in prædictis monumentis. Cujus præsidij autorem laudant Nauclerum præpositũ Tubingensem, Ecclesiæ Aquilegiensis contradictionem hocce verborum tenore
11. conciliantem: † *Quod autem à quibusdam scribitur, sanctionem hanc institutam fuisse anno salutis nostræ millesimo & secundo, hoc ita intelligendum puto, quod eo anno, virtute istius sanctionis, prima facta fuerit per Principes designatos electio in persona Henrici Bavari; tunc enim cœpta est moribus utentium approbari, & sic sub*
12. *Sylvestro II. qui successit Gregorio.* † *Et hoc salvari potest, quod ex monumentis Aquilegiensis Ecclesia traditum invenitur, sanctionem de Imperatore à germanis deligendo Sylvestri temporib. factam fuisse, Vnde etsi Gregorius sanctionem instituerit ille tamen Sylvester electionem primam juxta sanctionem factam approbavit.* Hæc
13. Naucler. *in Chronol. vol. 20 generat. 34.* Quæ tamen conciliatio † non omnem tollit Goldasto scrupulum, quem verba autorum pepererunt satis clara & manifesta, institutos videlicet fuisse Electores ab Henrico
14. II. post Otthonis III. decessum. † Feliciori igitur interpretamento modũ hunc dissolvere sibi videtur, si primævam Electorũ ordinationem

Otthoni

Otthoni III. & Gregorio V. confirmationem verò ejus Henrico II. & Sylvestro II. adſcribat. *dict. §. 6.*

XVII.

Ita nimirum anxii ſunt, qui à partibus ſtant † Pontificis, id operã 15.
dantes, ne tantillum autoritatis circa originem & officium Septem-
virorum ipſi detrahatur, unde firmiſſimum argumenti hujus fulcrum
ſibi pollicetur, aculeum fortiter Pacis inſtrumento infigens, qui tamen
jamdudum hebefactus parum pungit, nec tam ſubitò Principes
Pacificatores temeritatis alicujus cõvincere poteſt, quin citius inſignis
convincatur Pontifex erroris, & jactantiæ intolerandæ de natalibus
Collegii Electoralis. † Demonſtratu hoc nequaquam eſt difficile; 16.
quãtumvis enim (1.) non inficiemur ampliſſimũ Autorum catalogum,
numerumque eorum majorem, qui Otthoni III. ordinationem
Electorales Collegii attribuunt, quàm qui denegant, quo de fidem
facit relatio Gevvoldi *in comment. de ſacri Rom. Imper. Septemviratu. c. 6.*
unde communis opinio Pontifici favens prævaluiſſe videtur, nequaquã
tamen ex favore hoc quidquam autoritatis in Collegium Septẽvirale,
ei defertur. † Dato namque, id alium præter Otthonem III. autorem 17.
ſuæ originis haut agnoſcere, an propterea Ordinatio Imperatoria pro
ſanctione Papali venditanda? Poſito etiam, quod Ottho Imp. ſuaſu
Pontificis Gregorii V. ad inſtitutum hoc acceſſerit, num ſtatim jus
ſuum & autoritatẽ Collegii Electoralis à ſe formati in ipſum trãſtuliſſe
videbitur? † Inſignem committit errorem Pontifex, ſi ita argumentari 18.
velit; non noviter tamen, cùm jam antè, hoc argumentandi modo uſus
fuerit Bellarmin. qui licet Electorum inſtitutionem ſoli Pontifici
Gregorio adſcripſerit, Imperatorem verò Otthonem penitus ab eâ
removerit, *lib. 3. de tranſlat. Imp. c. 1.* † alibi tamen ſummam rei Pontifici 19.
equidem adſignat, conſenſum tamen Imperatoris adhibitum non
negat, id forſan haut facturus, ſi non plurimorum Hiſtoricorum
teſtimoniis ſe refelli potuiſſe metuiſſet; † ſed parùm inde juvat Ieſuita 20.
autoritatem Papæ: quia ſi duo concurrant, unicuique ſuæ partes
adſignentur neceſſe eſt, ne alter jure ſuo defraudetur. Quod ſi ergò
Imperator in Conſtitutionem illam conſenſerit, valebit ea quoad
hunc conſenſum, non quoad pontificiam autoritatem, quæ in legibus

F Imperii

Imperii ferendis nec tum, nec hodie ulla est, benè sic inferente ICto quodam Germaniæ anon. *in Disp. polit. de translat. Imper. Roman. à Græcis ad Francos contra Robert. Bellarm. c. 7.* At † nec (2.) concedendum,

21. Collegium Septemvirale ab Otthone III. Imp. fuisse fundatum, si, quomodo & à quibus post ipsum Imperatores sint electi, pensitemus & ex Historicis informationem petamus, quos cùm jam antea, studio ingenti perlustraverit, & ex Otthone Episcopo Frisingensi, Abbate Vrspergensi, Sigeberto Gemblacensi, Sigeberto Schafnaburgensi, aliisque historicis & autoribus gravissimis demonstraverit Onuphrius

22. Panvinius Veronensis, † omnes ac singulos, quotquot fasces tenuerũt Reges Romanorum & Imperatores post Otthonis III. obitum, universorum Germaniæ Principum votis atque suffragiis renunciatos fuisse. *in tract. de Comit. Imper. c. 6.* non est quod vel Otthonem III. Imp.

23. vel Gregorium V. Pontif. ordinationis hujus agnoscamus autorem; † nec enim si certis illi personis ac Principibus jus eligendi detulissent, morem antiquum contra ritum præscriptum postea observatum quisquam existimaverit. Et quomodo in officio suo haut neglectus arguerentur Historici, si tam notabilem observantiam & legem

24. publicam reticuissent, † quorũ tamen cura & diligẽtia in descriptione dietarum & consignatione circumstantiarum, etiam leviusculorum reperitur tanta, ut aliquando nimii fuerint, fastidiumque lectoribus

25. fecerint, dum ubi Imperatores † singulis noctibus pernoctaverint, ubi Pascha, Pentecosten Natale & Quadragesimam singulis transegerint annis, studiosissimè literis mandare haut intermiserunt; num autem modum eligendi, & fundationem Collegii Septemviralis, si tum fuisset, eos tacuisse quisquam præsumet? Cùm verò nullus nec Germanus, nec Italus, nec cujusvis gentis auctor, qui ante Friderici II.

26. obitum vixerit, vel verbulũ de hac re notabili fecerit, † post Friderici illius obitum, & sic longo demum tempore, post Otthonis III. vitam, jus eligendi Imperatorem certis, & quidẽ illis septem Archiprincipibus delatum fuisse, ex necessariâ concludendum erit consequentiâ, idque

27. eò firmius, † quod non pauci ex Historicis vitam Gregorii V. Pontif. & ipsius Otthonis III. accuratissimè descripserint, nec tamen præter coronationem Imperatoris à Papa factam ullius negotii alterius inter eos peracti meminerint, ut indignum profectò fuisset, rem tanti ponderis, qualis est Electorum institutio, neglexisse, Panvin. *dict. loc.*

(3.)

(3.) † Quin & fortissima nos juvat præsumtio ex antiquo desumta 28.
more & cõsuetudine, quâ Principes Germaniæ & Italiæ omnes eligere olim solebant, attestante Otthon. Frisingensi de Chunrado, quod Anno ab incarnatione Domini MXXV. defuncto sine filiis Henrico, ab omnibus sit electus, *lib. 6. histor. c. 28.* † nec non de Henrico II. itidem 29.
post obitum Otthonis III. anno MI. ab omnibus Regni primoribus designato Imperatore *lib. 7. c. 27.* quod aliis etiam exemplis post Abbatem Urspergensem, Lambertum Schafnaburgẽsem, Sigebertum Gemblacensem, plurimosque alios firmavit Onuph. Panvin. *cit. c. 6.* †
Quis verò crediderit unquam, Principes ac Proceres Imperii jus hoc 30.
electionis splendidissimum sibi expressâ aliqua lege & constitutione eripi, permissuros fuisse? Et ubinam locorum Constitutio illa? Sanè in Aurea Bulla, † quæ multa de Electoribus eorumque juribus nobis 31.
aperit, illa haut reperitur, nec Carolus IV. nec reliqui Imperii Proceres ejus mentionem fecerunt ullam, nequaquam eam neglecturi, si tale quid unquam esset statutum; id namque inolevit moribus, ut Impp. in Constitutionibus suis, Sanctionum priorum, quas vel abrogant, moderantur vel confirmant, non obliviscantur. † Cumque in hâc 32.
Bullâ Carolinâ *tit. 7.* Imperator longè lateque publicum & quasi per totum orbem notoriè manifestum dixerit, Illustres Reges Bohemiæ, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ & Marchionem Brandeburgensem, virtute Regni & Principatuum suorum in electione Regis Romanorum in Cæsarem promovendi jus, vocem & locum habere; † certè si ullo in loco Constitutionis illius 33.
Gregorianæ mentio facienda fuisset, heic optima occasio sese dedisset, eamque Imperator vix prætermisisset, præsertim cùm fateatur, longè lateque id esse publicum & quasi per totum orbem notorium. Sed quid multis, postquam † Innocentii nostri Antecessor, eodem 34.
honoratus nomine III. ingenuè fassus est, jus eligendi ex antiquâ consuetudine Septemviris competere, *in cap. venerabilem 34. extr. de elect. & elect. potest.* † Quomodo ergò Constitutioni vel Otthonis III. vel 35.
ipsius Pontificis Gregorii V. id tribueretur, quæ ceu pars juris scripti consuetudini opponitur, *§. constat autem. Inst. de jur. nat. gent. & civ.* Acceptamus ubique hanc confessionem & documentum ejus rei certissimum, quam ex archivis suis Pontifex perspectissimam habuit;
† Sed rejectum volumus testimoniũ falsissimè annexum, ad Principes 36.

F 2 illos

illos jus eligendi à ſede Apoſtolica perveniſſe, *dict. cap. ventrabilem.* ſive enim ab ipſomet Gregorio V. ſive à Gregorio X. id factum putetur, de quo adhuc concertatio eſt, apud Blond. *lib. 5. decad.* 2. Aventin. *lib. 5. annal.* Caſp. Ens *theſaur. polit. part. 3. apotelesm. ult. p. 559.* Alex. Carer. *lib. 2. de poteſt.*
37. *Pontif. c. 18. n. 1. p. 162.* Alphonſ. Alvarez *de poteſt. Pontif. c. 16. n. 15. p. 13.* † ſuſpectiſſimum tamen eſt hoc atteſtatum, ex propria Pontificis, domo profectum, cui nulla tribuitur fides, *l. etiam* 3. *C. de teſtib.*

XVIII.

38. Satis hinc eluceſcit, quàm graviter Pontifex hallucinetur, † ambitionis potius & contentionis, quàm veritatis ſtudio Autorem Collegij Septemviralis venditans, ſedem apoſtolicã, de cujus equidem natalibus veris ſolicitos ulterius nos eſſe nec ratio inſtituti admittit, nec
39. alia cogit neceſſitas; quin & † determinatione certâ magnificæ ac ſplendidiſſimæ Collegij iſtius autoritati nihil additur detrahiturvè: Et ſive Carolo Magno, ſive Otthoni IV. Brunſvigio originẽ ejus acceptam quis ferat, ex decreto in Comitijs Francofordianis facto, apud Goldaſt.
40. *tom 3. Conſtit. Imper. anno* 1209. *fol.* 371. † de quo ipſemet poſteà eſt ambiguus, à Ioh. Baptiſta Egnatio in vita Otthonis III. id confictum contendens, *in Bohem. lib. 3. c. 5. n. 9.* ſenſu quemquam ſuo patimur
41. abũdare, † ſufficiat nobis obtinuiſſe, quod ab autoritate ſedis apoſtolicæ ſeries Electorũ haut profluxerit. Noſtra tamen ſi quis ſenſa vehementer expetat, communi Politicorum voto adhæſimus, qui totum Septemviralem ordinem tacito quodã conſenſu Principũ Procerumq; Imperij irrepſiſſe, & paulatim tempore immemoriali interveniente,
42. hoc eſt, † per longam conſuetudinem introductam autumant, ipſo aſſentiente Pontifice *in dict. cap. venerabilem* 34. *extr. de elect. & elect. poteſt.* quam ſtationem nec unquam derelinquemus vel ſolius Caroli IV. Imp. ſtatuumq; Imperij, negotij hujus ſcientiſſimorum teſtimonio adjuti
43. fortiſſimo; Quid verò illi? † Electores, inquiunt, ad electionem juxta antiquam & laudabilem conſuetudinem proficiſcantur. *It:* Et quia de antiqua & laudabili conſuetudine inconvulsè, quod ſubſcribitur,
44. ſemper hactenus extitit obſervatum, *tit. 2. Aur. Bull.* Et *rurſus:* † Invenimus etiam ex clariſſimis relationibus & traditionibus antiquorum illud à tempore, cujus contrarij jam non habetur memoria per eos, qui nos præceſſerunt, feliciter eſſe & jugiter obſervatum. *tit. 25. § pen. dict. Bull.*

Nimirum

Nimirum quia † æquioribus sæpe animis homines usurpatione tacitâ, quàm expressâ lege sibi quid adimi patiuntur, usu latenti Electores jus 45.
eligendi paulatim ad se traduxisse verosimile videtur, Kirchner. *in Morviller. lib.* 1.*c.*3.*n.*53. ut propterea de certo constare nequeat termino, † nam & alias quæ moribus paulatim introducuntur, vestigium vel 46
nullum vel admodum exiguum ortus sui & progressionis relinquunt, quorum irreptio tàm tacita esse consuevit, ut vix unquam percipiatur, nec nisi conversione secutâ sentiatur, prout in simili tradit Gallorum politicus *libr.* 2. *de Republ. cap.* 6. † Meritò igitur 47.
in Carolinâ Lege confirmatoriâ subsistimus, nec altius natales Ordinis Electoralis cupimus repetitos, tuti satis, si non scrupuli quid relinquat Sanctio illa vel ipsius Gregorii V. Pontif. vel Otthonis III. Imp. statu tamen illius promulgata, cujus suprà *Posit.* 16 *n.* 8 fecimus mentionem. Ac parum inde periculi metuendum iis, † qui futilitatem 48.
Legis hujus animadvertunt, quam sicut meritò suspectam habet Goldastus, tanquam figmentum purum putum, *in act. Imper p.* 16. ita & antiquitatibus penitus contraria est: Et vel inde solummodò falsa apparet, quia meminit Regis Bohemiæ, eumque si reliqui in suffragiis discordes sint Electores, cooptari jubet, † qui tamen sub Friderico 49.
demum I. hoc nomine cœpit inclarescere, de quo hæc consignavit Dubravius: *Cæsarem Germani Fridericum in Comitiis Francofordiæ habitis declararunt, Vladislao (qui erat Rex Bohemiæ) inter primos Electores ei suffragante, tanquam affini suo, lib.* 12. *histor. Bohem. fol.* 94. † Vocantur 50.
autem ab eo Electores primi, respectu aliorum Principum, quibus jus nominandi & prætaxandi eo tempore competebat, Albertus Stadensis *in Chron. anno* 1240. quò & respexit Ecko de Repkau *in spec. sax. lib.* 3. *art.* 57. §. *ult.* † Easdemque partes primas in electione Friderici II. Imp. 51.
tenuisse Primislaum Ottocarum Bohemiæ Regem, ipsius Imperatoris Constitutio fidem facit, quæ ita habet: *Illustris Rex Ottocarus à primo inter alios Principes specialiter præ cæteris in Imperatorem nos elegit, & nostræ electionis perseverantiæ diligenter & utiliter adstitit*, apud Hagecium *in Chron. Bohem. part.* 1. *anno* 1212. Priorum † verò temporum gesta non ferunt, Bohemum 52.
statim adjectum Electoribus; Bella enim inter Imperatores Romanos & Bohemiæ Duces toties renovata ostendunt, non adeò firmiter Bohemiam cum Imperio superioribus seculis coaluisse, ex Heigio Limn. *lib.* 3 *jur. publ. c.* 1. *n.* 5. † Fallunt ideoque, qui ex suspectâ illâ 53.
sanctione, Pontificis errorem defensare gestiunt.

XIX.

54. Non satis verò de instituto à sede apostolica Collegio Septemvirali jactantiam prodidisse sibi visus est Pontifex, si non etiam displicentiam suam super octavo Electoratu aperuisset, & errorem errore cumulasset; Estq; hic lapsus alter ex priore profluens, æquè gravis & intolerabilis. † Cùm enim in Pacificatione Osnabruccensi inter alia etiam Electorat' octavus fuerit institutus, hac conditione, ut Carolus Ludovicus Comes

Error secundus Pontificis.

55. Palatinus Rheni, ejusq; heredes & agnati totius Lineæ Rudolphinæ juxta ordinem succedendi in Aurea Bullâ expressum, illo fruantur. Instrum. Pac. §. *Quod ad domum Palatinam, &c.* ægrè admodum hoc tulit Pontifex, & conventionem hanccé de augmento numeri septenarij in Collegio Electorali, ceu rem novam & hactenus non auditam

56. improbare attentavit. † Etsi autem contradictio hæc papalis ex fundamento parili falsò provenerit, nempe & numerum Electorum septenarium olim apostolicâ autoritate Collegio laudatissimo fuisse præfinitum, prout indigitat Pontifex, cujus tamen lapsum ex modò

57. dictis, absq; ulteriori negotio animadvertere licet, attamen † cùm articulus ille numerum principaliter Electorum, in sese consideratum, ejusque augmentum concernat, non possumus non Papæ errorem de octavi Electoratûs instituto, quod ceu temerarium vehementer exclamat, & toti imponit Imperio, detegere. Noviter autem id factum,

58. non planè inficias imus; at num temerariè, insolenter, nulloq; jure? † Oppidò & audacter nimis virgulam sibi censoriam sumit Pontifex, Cæsaream Maiestatem Statusq; Imperii in universum illiciti insimulans attentati: nec frustra hoc existimabit forsan, qui oculos vertit acutiores in mysterium numeri septenarii, causamq; illius in Collegio Electorali

59. recepti exactius pensitat. † Sive enim illam cum Cælio Rhodigino *lib. 2. antiq. lection. c. 12.* in perfectione huius numeri posuerimus, sive cum Peucero 4. *Chron. p.* 559. à septem illis Consiliariis & Principibus, qui in Regno Persico per sortem, vel teste Herodoto *lib.* 3. equi potius hinnitu

60. Regem eligebant novum petierimus, † aut cum ipsomet Imp. Carolo IV. *in pr. Aur. Bull.* ad numerum septem lucernarum, quarũ apud Mosen, *Exod.* 25. *vers.* 17. fit mentio, respexerimus, sanctus ille ac inviolabilis in Collegio Electorali semper fuit visus. Fatemur sanè, multos in

61. exploratione hujus numeri † multum laborasse, sed & multùm

errasse,

errasse, diversos in anfractus dispulsos, unde vera ejus indagatio plurimum contentionis in Politicorum scholis peperit, & quasi crucem aliquam ingenijs fixit, usque adeò ut quidam ad commune ignorantiæ asylum confugere haut erubuerint: † ad exemplum juris constituti 62.
provocantes, cujus nec investigari debeat, nec reddi possit ratio, si non in generali illâ acquiescere quis velit, quod majoribus nostris sic placuerit; attamen † securè ambulant, qui numerum septenarium 63.
electioni Regis Romanorum apprimè convenientem contendunt, ne paritas votorum ullum electioni obicem ponat. Cùm verò alius quivis numerus impar eundem operetur effectum, & paritati suffragiorum occurrere possit, ulterius alij in determinationem hujus numeri inquirunt: Et quidem probabilis est conjectura Peuceri, primum imparem numerum in trib. politicis Principibus constitisse, 64.
cui dignitate parili ecclesiastico postea ordini communicatâ, cùm tres accesserint Archiepiscopi, utrorumque arbitrum & ita septimum adhiberi necessum fuisse, *dict. lib. 4. Chron.* † Est ferè conjectura hæc illa 56.
ipsa, quam paululùm aliter ex Simon. Schard. *de elect. c.* 9. declaratam dedêre Politici: Fuisse nempe quondam ordines quatuor Electorum laicorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum; ne autem electione ad paucos devolutâ, ullus horum ordinum de eo posset conqueri, ac si præteritus & exclusus esset; † unum, ajunt, ex Regibus, 66.
unum ex Ducibus, unum ex Marchionibus, & unum ex Comitibus cum tribus Ecclesiasticis admissos esse, qui cæterorum vice & nomine electionem peragerent; tres autem Ecclesiasticos reliquis, propter summam Ordinis hujus autoritatem atque potentiam, † qui uno 67.
utique haut contentus fuisset, duos verò propter votorum paritatem, quæ emergere potuisset ratione numeri senarii Electorũ, non suffecisse: Verbis hisce mentem reliquorum secum sentientium explicuit Limn. *lib. 3. jur. publ. c. 2. n.* 30. Arumæus *de Comit. c. 2. n.* 25. Panvin. *de Comit. c.* 9.
† Ita scilicet in effectu non nisi votorum æqualiũ conciliatio numerum 68.
hunc imparem extorsit, septenarium verò, ordinum ac dignitatum inter Principes diversitas. Et causam imparitas hæc numeri haut minimam dedit errori, † quem Natalem Comitem, Dubraviũ, Panvinium, Clapmarũ, Arnisæum, aliosq; Politicos & Historicos nequaquã 69.
postremos olim errasse legimus, Regem scilicet Bohemiæ non nisi cum Sevirûm Electorum suffragia æqualiter divisa inter sese dissenserint, ad electionem Roman. Regis admittendũ fore, ut aliorum arbiter existat,

† quod

70. † quod ipsum tamen ex ineptijs vetusti juris Saxonici petitum, à sanioribus Politicis jamdudum ex Aureâ Bulla, plurimorum Impp. decretis & sanctionib. pragmaticis explosum novimus, quo de inprimis Melch. Goldast. *in consultat. peculiati de officio Electoris Bohemiæ, jureque in conventibus S. Rom. Imperij Electorum, tàm Electorali in actu eligendi, quàm Collegiali in consilio Reipublicæ sibi competente*, annexâ *Comment. de Regno Bohemiæ.*

XX.

71. Nucleum autem retinentes ex numero Electorum septenario, † quem Lege etiam Carolinâ & sanctione pragmatica in Imperio firmatũ legimus in *Aur. Bull.* quæ vix uno non in articulo, quorum triginta in utero gestat, si non expressè, haut obscurè tamen observantiam numeri illius in Collegio Electorali inculcat, non poterunt, non forsan mirari
72. novum octavi Electoratus institutum, † quo reductioni suffragiorum æqualium ad imparitatem, penitus repudium dari videtur; septem namq; votis si octavum addatur, quis patrocinabitur, si rursus paria existant suffragia? quis litem determinabit? quis certum dabit decisum? Periculum certè haut contemnendum hinc se offert, si non alia votorum æqualium conciliandorum adducatur ratio, quæ inventu
73. forsan difficilis. † At nec facilior applicatio octavi Electoratus ad officia in Curia Imperiali præstanda, de quibus sic cecinit Nicol. Reusner:

Septem clara Viris fulget Germania magna,
Quos penes arbitrium Cæsaris omne manet.
Poma Palatinus Dapifer gerit aurea Princeps;
Dux gladios Equitum Saxo Magister habet:
Marchio fert sceptrum Camerarius: inde Bohemus
Rex Pincerna manu pocula digna tenet:
Præsul Agrippinus fert signa per Italia Regna:
Teutona Mogiacus: Gallica Trevir amat.

74. *in descript. urb. Imp. p.* 13. † Ita scilicet officia hæc illustria, etiam secularia, quæ sub priscis Imperatoribus temporaria erant & ambulatoria, ac pro arbitrio

arbitrio inter Principes sibi dilectos, beneq; de se & Imperio meritos ab Impp. distribuebantur, hodie certis sunt adsignata Electoribus, *Aur. Bull. tit.* 4. Freher *de orig. Palat. p.* 1. *c.* 10. Goldast. *in Bohem. lib.* 3. *c.* 8. *n.* 4. † eorumque cum septem sint, numero, septem quoque conveniunt 75. Principibus, & nullum remansit octavum: An ergò novum illis superaddendum? an solus absque officio erit Elector octavus? † Neutrum tutò ac rationabiliter fieri quis haut falso existimaverit. Ex 76. quo hucusq; inviolabiliter constitit numerus Electorum septenarius, qui & curæ semper fuit Principibus Imperii, invisa autem Electorum multiplicatio, ut licet colligere † ex scripto, quod ad Papam Vrbanum 77. IV. emiserunt, Freher. *de legit. tut. Elect. in pr.* cujus haut immemores fuerunt Electores laudatissimi, quando Maximilianus I. Imp. de jure suffragii in electione Imperatoriâ Archiducib. Austriæ comunicando illos solicitavit; † repulsam namque tulit & graviter postulatis hisce 78. laudatissimi Principes Septem viri restiterunt, ob id solummodò, ne antiquissima pariter ac prudentissima majorum instituta de numero Electorum septenario mutarentur, veluti consignavit Marquard. Freher. *ad Petr. de Andlo lib.* 2. *c.* 1. Arum. *de comit. c.* 7. *n.* 131 † Quin nec 79. alienâ fuerunt mente, cùm annis superioribus Gabriel Bethlenus Transsilvaniæ & Zeculorũ Princeps, ipsos pariter ac Principes unitos imploraret, ut Regi Vngariæ exemto alioquin, honos haberetur Electoralis, jusque suffragii in electione novi Romanorum Regis ceu octavo Electori benignâ largitione concederetur. † Non enim 80. favorabilius reportavit is responsũ, nec annuere petitis ejus voluerunt Principes Serenissimi, quod refert ex Cancellaria Anhaltinâ Goldast. *lib.* 3. *Bohem. c.* 5. *n.* 5. Nimirum † quia veterem Electorum institutionem 81. temerè mutari sine motu ingenti & Reipublicæ periculo haut posse arbitrarentur, de quo fusè Theonestus Cogamandolus *in secret. secretor. Calvino Turcic. eorundemque apocalypsi, consider.* 25. & Iustinus Iustus Iustinopolitan. *in mysterio iniquitatis, ejusque verâ apocalypsi.*

XXI.

Sunt hæc, unde præsidium erroris sui petere quiret Pontifex, eaque satis speciosa † primo adspectui: At larvam si detraxerimus, 82. omnia à verò devia, publicęque saluti hoc tempore noxia inveniemus,

 parumque

parumque difficultatis restabit. Liberalitatem namque aliquam erga
83. Pontificem exercentes, concesserimus † utique à numero Collegii Electoralis septenario pragmaticâ sanctione suffulto non facilè & absq; causâ urgenti deflectendum, omnemq; operam impendendam, quò conservetur inviolabiliter, ac ne quidquam novi splendidissimo Electorum Collegio obtrudatur, idque ipsum nec aliud quidquam
84. evincunt ea, quæ modò à nobis fuerunt adducta, ut hinc † minimè Electores petito, Maximiliani I. Imp. de augendo eorum numero, annuendum duxerint; Quæ enim causa & ratio hujus postulati? Vel
85. nulla, vel satis suspecta: † Privato scilicet domus Austriacæ commodo Maximilianus intendebat, & consilia Septemvirorum ceu perniciosa domui ac familiæ suæ visa in suspicionem vocabat, eaque interventu Archiducis Austriæ temperare studebat, prout colligendum ex scripto
86. Windeckii, *de Electorib.* quod Electores † satis maturè animadvertentes pro Republicâ excubandū judicarunt, ne quid detrimenti sive aperto Marte, sive per cuniculos caperet, tantum abest, ut à numero Electorū consueto ac lege fundamentali probato recedendum existimassent.
87. † Nec prægnantiori instructus causâ Princeps Transsylvaniæ pro Rege Vngariæ intercessit, titulū enim prætexebat antiquum ex monumentis Historicorum, in quibus Pannoniæ Principi jus eligendi quondam legitur competiisse apud Gunther. *in Ligur.* At cùm id non de ipsâ electione, sed saltem de jure prætaxandi, h. e. nominandi, cum aliis
88. † Principes Imp. intellexerint, causam subesse nullā deprehenderunt, ut à præscripto Aureæ Bullæ tantâ antiquitate & observantiâ firmato deflecterent, Goldast. *dict. loc.* At num propterea rigori huic præcisè
89. inhærendum, † Si ratio & causa augendi ordinis ac numeri Electoralis urgentissima & sufficientissima existat? Iniquus rerum erit censor, qui sic argumentari velit. Et hinc tutâ ingredietur viâ, qui articulum hunc
90. Pacificationis defensare susceperit. (1.) † De causâ enim hujus octavi noviter instituti Electoratus si quis certioratus haut sit, regrediatur ille velim ad præterita ista tempora, quo omnia Martem spirabant, tota Germania bellis flagrabat, medioq; in hostili incendio erat constituta, Principes de autoritate suâ periclitabantur, Proceres totalem metuebant ruinam, subditi ac incolæ jam bona ex parte trucidati erant, Status Imperii tantum non in agone, animam mox exhalaturi, & quid
91. non? † Causamné hanc de nihilo & minus probabilem ac urgentem

quisquam

quiſquã judicabit, ut propter pacis amorem, Germaniæ tranquillitatẽ, & Imperii conſervationem licentiæ Bavari & Palatini Electorum paululùm indulgeretur? Sanè cùm † nullum aliud ſuppeteret remediũ, 92.
quo lis hæc inter tàm præclaros ac potentes Principes ſopiri quiviſſet, prudentiſſimè & vel ob ſolam pacis reſtaurationem, octavum fuiſſe admiſſum Electorem fatebitur quiſque qui pacem haut invidet Germaniæ, quique † ob pacis & tranquillitatis amorem à regulis juris 93.
& ſanctione præſcriptâ tutò recedi, à ſaniori Politicorum cohorte perceperit, vel juris axioma vulgatiſſimum & ad prodigalitatem uſque repetitũ: *Neceßitatem ſcilicet legem non habere*, in ſcholâ ICtorum didicerit.
(2.) † Minus verò inſtitutum hoc novum expugnare ſuſcipiet, qui de 94.
ratione ſtatus (nequaquam rationis monſtro & flagitio dominationis diabolico, quod probè deteſtatur Pius V. Pontifex, & nos cum ipſo, ſed rectæ rationis dictamine) ſatis eſt informatus. † Si non enim 95.
atheiſmum vel tyrannidem, quam hoc nomine palliare malevoli aſſolent, vel meram calliditatem cum injuſtitia & crudelitate junctam intellexerimus, † ſed oculos recta in ſalutem Reipublicæ juſtè ac piè 96.
promovendam vertamus, rationem ſtatus ſuo vigore ac firmitate conſtare, ſentient nobiſcũ omnes, quibus curę & cordi eſt tranquillitas regiminis, cui ſanè ceu fulcro firmiſſimo octavus innititur Electoratus, ut maximè ab obſervantia communi haut parùm deflectat; † nec 97.
enim verius quiſquam Rationẽ ſtatus definierit, quàm juris communis propter publicum beneficium, aut propter majorem aliquem & univerſalem finem derogationem, cum Scip. Ammirat. *dißert. polit. in Tacit. lib.* 12. *c.* 1. Nimirum quia jus dominationis non cauſas privatorũ, vel unius atque alterius commodum & utilitatem, † ſed totius Reip. 98.
ſalutem concernit, regulis juris & legibus politicis id nequaquam adſtringi debet, Wilh. Ferdin. ab Effern *in manual. polit. lib.* 1. *punct.* 1. Mirabitur hinc nemo, ſi Principes ordinent ac diſponant quid contra leges, etiam fundamentales, quæ cùm ſtructuram Reipublicæ debeant conſervare, in ejus perniciem obligare haut poſſunt Magiſtratum,
† quin publicam promovere ſtudeat ſalutem ex pio & vero rectæ 99.
rationis dictamine, ut maxime illud à jure poſitivo exorbitet, Arnold. Clapmar. *lib.* 5. *de arcan. Rerumpubl. c.* 1. ut non malè hinc rationem ſtatus diſpenſationem aliquam juris ac legum propter bonum publicum ſuſceptam vocaverit Giurb. *in conſil. crim.* 1. *n.* 3. Effern *dict loc.* (3.)

100. † Tantoq; magis, fulcro hôc sustinebitur octavus Electoratus, quantò propius ad antiquum & vetustum illum accedit morem, quo non certi aliqui, certoque inclusi numero Principes Imperatorem eligebant, sed plurium ac quandoque universorum Imperii Principum suffragia
101. requirebantur, † de quo satis nos informant & testantur Historicorum codices, nec non Edictum Imperij Principum de obitu Imperatoris Henrici IV. & nova electione facienda, apud Goldast. *tom.* 1. *Constit. Imp.*
102. *p.* 259. ubi notabiliter in margine hæc addit: † Discimus hinc, jus eligendi Imperatorem penes universos Imperij Principes extitisse, non solum penes solos Septemviros Electores ut hodie, Principesque quinquaginta duos ad electionem Regis Romanorum, ac novi Imperatoris admitti consuevisse, ex constitutione Henrici VI. percipere
103. est, apud eundem Goldast. *dict. tom.* 1. *p.* 287. † Et hoc ipsum est, quod consignatum reliquit Albert. Stadensis *sub anno Domini* 1240. *fol.* 215. Electoribus potestatem eligendi ita fuisse datam, ut cogerentur tamen eligere eum, quem Principes communibus prænominassent suffragijs, cujus vestigia extant etiamnum in Specul. Saxon. *lib.* 3. *tit.* 57. quo de
104. Wippo *in vita Conradi Salici, c. de elect. Reg. f.* 424. Quid? cùm † etiamnum hodie electio Imperatoris à solis Septemviris peracta, nomine reliquorum etiam Principum facta censeatur, Electoribus hoc in actu totum repræsentantibus Imperium, quod scitè monuit Elector Moguntinus in renunciatione Caroli V. Paurmeist. *libr.* 2. *de jurisd. c.* 2. *n.*
105. 102. † Quidni ergò fas esset Imperatori ac Proceribus Imperij, ad primævum morem respicientibus, statu Reipublicæ id efflagitante, unicum saltem & octavum numero septenario superaddere Electorem?
106. (4.) † Omninò fas est; nedum morem de Septemviris in electione receptum & lege Carolinâ firmatum ad tempus duntaxat suspendere: Nec enim Principum & Plenipotentiariorum Osnabruccensium animus unquam fuit, lege in perpetuum valiturâ numerum Electorum
107. consuetum augere, † sed illam sic temperatam novimus, ut si contigerit, Lineam Guilhelmianam masculinam prorsus deficere, superstite Palatinâ, non modò Palatinatus superior, sed etiam dignitas Electoralis, quæ penes Bavariæ Duces fuit, ad eosdem superstites Palatinos interim
108. simultaneâ investiturâ gavisuros redeat, † octavo tum Electoratu prorsus expungendo, ex Instrument. pacis. §. *quod si verò contigerit.* Tutò haut igitur quisquam numerum septenarium in Collegio Electorali penitus abolitum & expunctum affirmabit.

XXII. Abeat

XXII.

Abeat ergò noster † Innocentius, & ulterius octavum Electoratum 109.
impugnare haut præsumat, quod nunquam efficiet ratiunculis à nobis
suprà adductis, quæ quidem præsidij aliquid primo aspectu spondent,
sed nil quidquam in recessu habent. Numerum enim septenarium
† si præcisè velit urgere propter mysterium, quod in illo lateat, 110.
responsum sibi habeat illud Limnæi: Quod de ejus perfectione dicitur,
inquit ille, ingenium potius quàm veritatem redolet, quod de ejusdem
efficacia prędicatur, nostram prodit ignorantiam, quæ vitreum lambit
vas, pultem non attingit. † Si quæ enim sunt septenarii vires in 111.
ætatibus, morbis, diebus criticis, aliisque mutationibus ad syderum
influxum, humores agitantem ac temperamenta mutantem, aliasque
abditiores causas magis, quàm ad perfectionem numeri referendæ,
quæ quia nos clam sunt, per earum comites numeros ex scholâ
Conimbricensi judicari possunt. *lib. 3. jur. publ. c. 1. n. 33.* † Nec plus 112.
adjumenti polliceatur sibi Pontifex ab Onuphr. Panvin. qui fulcrum
numeri septenarii ponit in disparitate votorum, *dict. cap. 9. de Comit.*
cùm & ternarius vel quinarius sufficere potuisset: † Nec sustinere 113.
illud queunt suavia aliorum cogitata de variis Principum Electorum
qualitatibus, & ordinis ecclesiastici dignitate, cùm & ipsemet numerus
septenarius omnem ambiguitaté ex paritate suffragiorũ profluentem
penitus non tollat: Quid si enim vota sex Electorum sic caderent, ut
duo hunc, duo illum, & duo alium eligerent? Poteritné suffragium
septimum duorum votis accedens majora constituere, & quatuor
illos dissidentes vincere? Non certè, † quia Sanctio Carolina plura- 114.
litatem non modò votorum, sed etiam majoris in Collegio Electorali
partis consensum & approbationem præcisè requirit, *in tit. 2. Aur. Bull.*
§. 3. *&* 4. ut sic novus Rex Romanorum non nisi quatuor ad minimum
votis ad fasces Imperii perveniat; † ex ratione haud ineleganti, quam 115.
suppeditat Ludolph. de Babenberg, electioné videlicet non pertinere
ad Septemviros, tanquam ad singulares personas, sed ut ad Collegium
& universitatem, *de jur. regn. c. 6. &* 72. Arum. *in disc. 2. ad Aur. Bull. th. 16.*

 Fatetur

116. Fatetur id ipſemet quoq; Panvin. † Quatuor enim ſuffragia, ait, & non
paucıora ex Septemvıris Imperatorem vel Regem creant, *dict. cap.* 9.
Debilis ideoq; & hęc eſt ratio numeri ſeptenarij in Collegio Electorali,
117. perinde † ut conjecturæ de hoc aliorum, quæ non minus incertæ, ut &
alibi, quando alterius voluntas exploranda, ſat divinatoriæ. Relinqui-
mus ergò veteriorem indagationem alijs, ingenij ſui acumene
oſtentare annitentibus, nec forſan ſine palmo, Oedipum ſi
habeant, cujus ope & hoc dubij reſolvere haud difficile erit, cur
118. Pythagoras ſuis non ſeptennij aut decennij, ſed quinquennij indixerit
ſilentium, Limn. *dict. c.* 1. *n.* 40. in generali acquieſcentes deciſo, † quod
majoribus hic numerus placuerit, prout de ſeptem teſtium numero ad
119. confectionem teſtamenti neceſſariò reſpondit Vultej. *in* §. *poſſunt* 5. *&*
ſeqq. Inſt. de teſtam. n. 27. vel quod † longævi mores, quibus primos
Electoralis Collegij natales acceptos referendum diximus, *ſuprà Poſit.*
18. abſq; ratione ſæpius irrepere ſoleant. Ne tamen quis vehementer
120. contra nos urſerit paritatem votorum, Electoraliumque officiorum
adminiſtrationem in numero ſeptenario ſubſiſtentem, † ad ipſos
confugimus Pacificatores Proceresque Imperij, quibus dubium hoc
determinare procul dubio facilimum erit; quod ſi enim hiſcé præſto
121. fuerit medium pacis recuperandæ, non deficiet quoq; remedium iſtius
conſervandæ, omniſq; impedimenti diſpellendi. † Nil ſiquidem
abſurdi, ſi electio Regis Romanorum & miniſtratio officiorum
Electoralium novis determinetur legibus; breviter, ſi alternis ſaltem
122. vicibus ſeptimo & octavo Electori poteſtas detur eligendi &
miniſtrandi, quo medio feliciter ſæpius uſi fuêre Status Imperij † in
decidendis controverſijs, quæ utplurimũ ex jure Broëdriæ in Comitiis
123. moventur: alternativè ſcilicèt ſedent & præcedunt, ut qui hodie
fortaſſis prior, poſterior deinde ſedeat; † quod inter Archiduces
Auſtriæ & Archiepiſcopum Salisburgenſem, alioſq; Imperij Proceres
aliquando factum, refert Iuſtus Reifenberg *in nomotheſ. publ p.* 207. nec
124. non idem de Herbipolenſi & Wormatienſi Epiſcopis, Mameran. *de*
inveſt. Maurit. Duc. Saxon. † ejuſque rei veſtigia reliquerunt plurimi
Receſſus, Imperij *de anno* 1526. 1527. 1532. 1541. 1542. 1545. 1548. 1551. 1566.
1570. 1576. 1594. ſed modum non attentamus ſubminiſtrare Principib⁹
ac moderatoribus pacis, qui arcana Imperij exactius norunt.

XXIII.

Reſtat tantummodò unicum, quod ſcrupulum, videtur peperiſſe
adhuc

adhuc indiscussum : † estque id petitum ab autoritate legis publicæ 125.
fundamentalis, quæ numerum Collegij Electoralis multoties firmat,
& sui observantiam in perpetuum duraturam promittit , *Aur. Bull. in præfat. nec non tit.* 1. 7. 8. *& passim*. cui & recens electus Rex Romanorum
in Capitulatione juramentô se obstringit. † Fortiter tanquam Medusæ 126.
caput Principibus Imperij hoc objici, existiment alij, nos hautquaquam;
Nam vel per instantiam solummodò, quàm parum id ponderis habeat,
demonstratu facilimum. Innotuit siquidem omnibus , † qui Legem 127.
eandem fundamentalem semel ac primis, quod dicitur, oculis inspexerint,
terminus triginta dierum electioni Romanorum Regis præfinitus,
eâq; constrictus lege , ut si intra dies hosce electio peracta haut fuerit,
pane & aquâ Electores cibari debeant, *tit.* 2. §. 2. *Aur. Bull.* † At quis 128.
crediderit, hoc unquam factum ? quis articulum hunc Bullæ observatũ
affirmare ausit ? Ex historijs sanè parum vel nihil de eo constat. Alio in
articulo jubet † Aur. Bulla Archiepiscopum Trevirensem Septemvirũ, 129.
primum dicere suffragium in electione Regis Romanorum , ultimum
verò Moguntinum, *tit.* 4. At , quoties ab hoc ordine recessum ? In
electione utiq; Caroli V. Imp. aliud observatum, & à Moguntino votum
primitus fuisse dictum, ac postea demum à Trevirensi, post. Ioh. Sleidan.
lib. 1. *histor.* consignavit Georg. Sabin. *de Elect. Caroli V.* Arum. *in disc.* 3. *ad Aur. Bull. concl.* 14. † Idemq; accidisse in designatione Maximiliani II. in 130.
Regem Romanorum , testes sunt Adamus & Nicolaus Heydeni
fratres , Moguntinum itidem primum explicantem suffragium
inducentes, apud Goldast. *in polit. Imp. part.* 1. *f.* 148. † Quis etiam nescit, 131.
comitia Electoralia à Carolo IV. ita fuisse temperata , certaque lege &
conditione terminata , ut annuatim Archi Principes Electores
conveniant in aliqua civitate Imperiali à Cæsare designandâ , post
festum Pachatis intra spatium Mensis proximi , utque convocatio &
indictio fiat ab ipso Imperatore? *tit.* 12. *Aur. Bull.* † Moribus tamen nostris 132.
non usq; quaq; hæc observari, sed plerisq; per Capitulationẽ Cæsaream
abrogatum, ipsemet Legis hujus fundamentalis tenor satis firmat. Et
nonne † Archiepiscopus Elector Coloniensis recens electo Romanorũ 133.
Regi coronam imponere jussus , eoque ceu singulari donatus fuit
privilegio , *tit.* 4. *Aur. Bull.* Nihilominus jus hoc in alios quoque
Electores ecclesiasticos usu derivatum , ex historicorum monumentis
didicimus ; Nimirum non solus Elector Moguntinus † in coronatione 134.
Rudolphi

Rudolphi II.& jam feliciter regnantis Dn.Ferdinandi III. Imperatoris invictissimi, officium coronandi sustinuit; sed Rudolpho II. tres conjunctim Electores ecclesiastici, ac Dn.Ferdinando III. cui Deus summam largiatur felicitatem, Moguntinus & Coloniensis Archiepiscopi simul coronam imposuere, quod ex *actu coronat.* satis perspicuum. †
135. Quem etiam fugit Sanctio Carolina de coronatione Imperatoris, Aquisgrani peragenda? *tit.* 28.§.5.*Aur.Bull.* Et tamen sępissimè ex placito & conventione inter Regem & Archiprincipes Electores, coronationem etiam alibi celebratam, liquidum reddunt exempla Ferdinandi I. & II. Maximiliani II. & Matthiæ Impp. omnium
136. Francofordi coronatorũ, Goldast *part.*1 *polit.Imper.*† nec non Rudolphi II.& Dn.Ferdinandi III. sceptra hodie fortiter gerentis, qui Ratisbonæ
137. coronam susceperunt. Rursus ex præscripto Aureæ Bullæ † hoc speciale obtinuisse legimus, Regem Bohemiæ privilegium, ut in curijs Imperialibus quemcunque Regem alium, quacunque etiam singulari dignitatis prerogativâ fulgentem, quem quovis casu adesse forsan
138 contigerit, antecedat, *tit.*6.*A.B.* At qualisnam hæc prærogativa, † quâ hodie & alij gaudent Coëlectores: Quod benè intelligentes Regis Angliæ Legatus & Nuntius Apostolicus, in coronatione Caroli V. adesse noluerunt, ne ordinarentur post Principes Electores, rati, per hoc Principum suorum dignitati derogatum quid iri, Hartm.Maur.
139. *de elect.& coronat.Caroli V.* Plura, † si opus foret, ex historicis adduci possent exempla, quibus non semel à præscripto Aureæ Bullæ per contrariam observantiam recessum. Sed quorsum ea? Ne quis
140. persuaderi † fortassis sibi patiatur, manus Imperatorias ita constrictas, ut consilio & assensu Electorum, statu Imperij id efflagitante, à lege fundamentali deflectere nequeat; vel saltem nasutulorum quorundam incurrat censuram de collapsâ Aureæ Bullæ justitiâ & partim exoletâ prorsus, partim de abrogatâ ejus observantiâ conquerentium, apud Goldast.*in Bohem.lib.*4.*c.*6 *n.*22. Cyriac Spangenberg *in chron.Saxon.c.*
141. 289. † quæ omninò quærelæ si non nimis maturæ, sensu tamen maturiori prolatæ, eatenus tolerari poterunt, quatenus absque sanâ ratione & nullo necessitatis casu jubente vel cogente, mores à Legis illius præscripto deflectant. Cæteroquin si causa pacis & tranquillitatis
142. subsit, aliudq; urgeant, † quis sanctum Domini arguet negligentiæ, & defectus temerarii ab Aureâ Bullâ, tantò minus profectò is obtinebit,

quantò

quantò clarioribus verbis Cæsarea Majestas & Proceres Imperij arbitrium contra Legem illam fundamentalem sibi reservaverint libertimum *in tit.12.§.2. Aur.Bull.* † Benè omninò ex vulgatissimo 143. JCtorum effato, nil esse tàm naturale, quàm eodem modo dissolvere quid, quo colligatũ est, *l.35.ff.de Reg.jur.* & parùm verba legis stringunt, si ratio, in qua ceu spiritu vivificante ipsa Lex vivit, vel ijs non succurrat, vel jussum ejus suspendat. † Quæ causa igitur tranquillitatis & pacis 144. publicæ numerum in Collegio Electorali septenarium introduxit, eadem & illum suspendere, & numerum octonarium sustinere valet.

XXIV.

Et ne quidquam tandem erroris Pontifex dissimularet, † temperare 145. sibi haut potuit, quin tertium quoque lapsum publicæ submitteret *Error* censuræ, indignabundus contra Cæsaream Majestatem reliquosque *Ponti-* Pacificatores & Principes gloriosissimos ac Serenissimos insurgens, † *ficis ter-* quod confirmationes Episcoporum & Prælatorum factâ postulatione *tius.* seu electione, potestati seculari attribuissent: Pluresq; Archiepiscopat⁹, 146. Episcopatus, Monasteria, Præposituras, Ballivias, Commendas, Canonicatus, & alia beneficia ac bona ecclesiastica Principibus Augustanæ Confessionis, eorumque heredibus, etiam sublatâ denominatione ecclesiasticâ in feudum perpetuum sub dignitatis secularis titulo concessissent. † In quo equidem passu bonam ac 147. piam videtur fovere causam, postquam omnium verè piorum tàm JCtorum quàm Politicorum voto, id quod semel dicatum est Deo, in usus prophanos transferri & alienari non debeat, *cap. semel DEO. extr. de Reg.jur.in 6to.l.sancimus. & l.ut inter. C.de SS.Eccles.* † quod jus ab ipso 148. Iehovâ ortum, & naturæ gentiumque lege sancitum, gravissimè tuetur Coler. *de process. execut.p.2.c.3.n.181.* ubi eò progreditur porrò, ut dicata Ecclesię sanctum sanctorum appellitare haut vereatur, nec sine crimine sacrilegij ea capi existimet; quod ipsum effectus & vindicta non semel divina comprobavit, teste Henrico Petræ. † Negare enim non 149. possumus, inquit ille, exempla eorum non deesse, qui res Deo dicatas attrectare atq; diripere, cœnobia invadere, eorumque census in usus profanos convertere, & muneris atque officij sui immemores, epulis &

crumenis tantum intentos, literarum & pauperum penitus oblitos,
150. Christi panem confidenter devorare, ausos fuisse: Sed malè concoxisse, ac verè sed serò nimis expertos fuisse, devotas execrationes gravi effectu non caruisse. *in tract. de monast. p.* 74. † Quid, quod bona illa usu & commercio hominum eximantur, & alienari penè prohibeantur, *cap. nulli. extr de reb. Eccles. non alien. l. jubemus* 14. *cum Auth. seq* C. *de SS. Eccles.* Ioh. Azor. *instit. moral. lib* 9. *c.* 1. & 2. *p.* 2. Quomodo igitur tutò in Principes transferri, ab iisque titulo secularis dignitatis acceptari
151. poterunt? Durat † scilicet etiamnum hodie apud vulgum hæc opinio, autore Erasmo *in proverb.* Ovinis pellibus junctæ lupinæ, ut existiment, omnes perire, quicunq; à sacris rebus non abstinent manus violentas, cùm tamen experientia, stultorum magistra & pœnitentiæ comes testetur, quod sicuti Aquilæ pennæ aliarũ avium plumas, si misceantur, adurere propemodum & quodammodò devorare, pro comperto
152. tradantur & videantur: † sic qui sacra auferunt & in thesauris suis recondunt, nihilo ditiores eo nomine facti, quinimò propriam substantiam perdidêre, Lather. *de censu lib.* 3 *c* 18. *n.* 52. Ex quo rectissimè
153. † pariter ac gravissimè judicavit Hier. Schurff. pro rebus sacris & bonis ecclesiasticis contra terrarum dominos semper ac perpetuò de jure responderi; Iisque inhiantes, eorumque reditus, quantum possunt, corrodentes, intervertentes, & impetrato à Principe pragmatico Rescripto seu diplomate in se suaque stipendia derivantes, in Deum, Ecclesiam, inque omne jus peccare arbitratus, *consil.* 31. *n.* 11.
154. *vol.* 2 *german. consil.* Prodiit † hinc Sanctio Imperialis de pace religiosâ, ut bona ecclesiastica apud Lutheranos non fundatorum heredibus cedant, sed superstitione resectâ, in parilem rursus usum à Principibus convertantur, *Recess. Imper. de anno* 1555. §. 21. ne scilicet quisquam subterfugium quæreret in superstitioso bonorum illorum abusu, cui perverso olim Zelo mancipata fuerunt, Baldvin. *lib.* 1. *de legib.*
155 *Constantin. Magn. fol.* 28. † Quod curæ sibi maximè habuerunt Principes Lutherani, bona Ecclesiastica à quisquiliis papisticis purgata in alium quidem usum, sed non in alienum, ut loquitur Tusch. *lit.* E. *Concl.*
156. 273 convertendo; Considerantes quippe † Collegia Canonicorum & cœnobia optima quondam majorum intentione ad educandos viros doctos & castas modestasque fœminas fundata fuisse, utque

emeriti

emeriti defatigatione ingravescente quasi receptui canendo, ad quietem & solitudinem pervenire possint. In parili usu pio subsistentes, 157.
† docentibus ac discentibus, nec non pauperibus, ac viribus laborandi destitutis senibus & ægrotis iisdem prospiciendum duxerêre, scholas & seminaria amplificarunt, proventibusque ac reditibus pinguioribus 158.
donarunt, † quâ moderatione aliis imprimis præivit heroico spiritu excitatus D. Mauritius Saxoniæ Elector anno 1543. frustrà obstrepentibus pontificiis, bona clericorum Ordini destinata, ad scholarum erectionem accommodans, quod pientissimi Principis institutum Germaniæ nostræ Livius, quo titulo Sleidanus meritò à politicis 159.
salutatur, hoccé deprædicat verborum tenore: † Quoniam juventus est veluti seminarium tàm Ecclesiæ quàm Reipublicæ, tres literarum instituit (D. Mauritius Elector) ludos, Misenæ, Grimmæ, Portæ, singulisq; locis certum numerum attribuit adolescentum; his omnibus victum præbet atque vestitum, Magistris etiam annua stipendia solvit, & in hunc usum applicat eorum Collegiorum proventus, in quibus aliquando Monachi vixerant, & id genus alii. Studiosis concedit sex 160.
annos, ut ibi doceantur; † Ex iisdem quoque bonis Academiam Lipsiensem auget & amplificat duobus aureorum millibus annuis, & modiis aliquot frumenti; Mendicationem quoque prohibet, & ut subveniatur familiis egenis, pecuniam annuam certis locis designat, 161.
Sleidan. *lib.* 15. *histor. p.* 427. † Quod exemplum & alii Principes pii semper sub oculis habuerunt, bona ecclesiastica superstitioso usu papistico penitus sublato, in verum ac sincerum pietatis & Ecclesiæ usum convertentes, in quos nequaquam cadit correptio, † quâ 162.
Magnates quosdam purioris religionis stringit Besoldus, monendo eos, ne superstitioso dicata cultui profanis applicent commoditatibus, eoque apud adversarios pietatem religionemque suam quæstus alicujus cupiditatis suspectam reddunt, potiùs senio valetudineque impeditis, ministerio quod non cedit ecclesiastico, devoveant. *lib.* 1. *polit. c.* 4. §. 28. † Tantum scilicet abest, probandum fore, ut bona 163.
ecclesiastica penitus in secularia convertantur, & Episcopatus in feuda & Principatus transmutentur.

XXV.

Satis ita speciosè Pontifex, sed & nimis licentiosè non minimo ductus errore, quem detegere instituto jubemur. Præsupponit autem
164. (1.) † distractionem sive alienationem bonorum ecclesiasticorum,
165. nunquam permittendam, quo in dogmate graviter errat, † si non antecessorem Papam Clementem erroris arguere velit, qui ad expeditionem quondam belli Turcici tàm clinodiarum quàm aliarum pretiosarum ecclesiasticarum immobiliumque rerum alienationem haut improbavit, quin potius expresè concessit, de quo informat nos
166. *Recess. Imper. Spirens. de anno* 1530. † Ac certè ita est, quod licet bona & prædia Ecclesiæ, aliaque hominum commercio exemta alienari prohibeantur, *dict. cap. nulli. extr. de reb. eccles. non alien. dict. l. jubemus. C. de*
167. *SS. Eccl.* † Lex tamen hæc prohibitiva adeò generaliter accipi non debeat, quin bonorum illorum distractio justâ & sufficiente ex causâ suscepta jure subsistat, putà ex necessitate æris alieni; in utilitatem &
168. commodum Ecclesiæ, vel ex misericordia facta. † Quod si negare ausit Innocentius Papa, ipsorum Pontificũ contra se habebit Rescripta, & attestata, in *dict. cap. 1. de reb. Eccles. non alien. can. sine exceptione* 12. *quæst.* 2.
169. *can. non liceat Papæ. dict. quæst.* 2. & pulchrè Ambrosius: † Aurum, inquit, Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus. Quid opus custodire, quod nihil adjuvat? Opus est, ut quis fide sincerâ & perspicaci providentiâ munus hoc (dispensandi scilicet bona ecclesiastica) impleat. Sanè si in sua aliquis derivet emolumenta, crimẽ est; Sin verò pauperibus erogat, captivum redimit, misericordia est.
170. † Nemo enim potest dicere, cur pauper vivit? nemo potest queri, quia captivi redemti sunt; Nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est; Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt; Nemo potest dolere, quia in sepulchris Christianorũ
171. requies defunctorum est. *lib.* 2. *de offic. c.* 28. † Compendiosè verò si quis causas alienationes sufficientes consignatas velit, sciat is, bona ecclesiastica, sive sint mobilia sive immobilia, distractioni iis subjecta esse casibus, quibus pietas principaliter & utilitas publica subest,
172. secundum tradita Cacherani *decis. Pedem.* 68. *n.* 8. † Id si ad casum præsentem alienationis, qua Episcopatus quidam & bona ecclesiastica

ad

ad Principes seculares translata, inque Principatus ac feuda perpetua, nomine dignitatis secularis transmutata ac conversa fuerunt, accommodaverimus validitatem † distractionis hujus & subsistentiam 173.
Pacificationis nostræ Osnabruccensis & Monasteriensis, nemo non absque negotio animadvertet. Quis non enim piam ac sufficientem judicaverit causam alienationis ad Pacis recuperationem, totq; millia hominum ab hoste & belli calamitate redimenda susceptæ? † Sanè 174.
christiani sanguinis & periculi hostilis aversio quibuslibet rebus pretiosior censetur, ut inquit Imperator *in l. sancimus 21. C. de SS. Eccles.* nec ulla major potest esse pietas, quam defendere patriam & tueri infirmos ab hostibus, Nicol. Reusner. *in consil. 2. n. 27.* Pietatis ideoque causa distractionem hanc sustinebit. (2.) † Errat quoq; Pontifex, quod 175.
transmutatione bonorum ecclesiasticorum in Principatus seculares, ad usus prophanos ea converti existimat, cùm & Principes sacram justitiam administrando sacros promoveant usus, finem sui regiminis in gloriam Dei & conservationem ac propagationem Ecclesiæ dirigentes, † quin 176.
& bonis illis, quæ olim vocabantur ecclesiastica, pauperibus, sacro Ministerio, alijsq; personis miserabilibus succurrētes. Nec prophanasse dicetur Magistratus † bona Deo dicata, si ad sustentationem eorum, 177.
qui Ecclesiæ & scholis operas suas actù jam præstant, ad subsidium illorum, qui Ecclesiæ & scholis operam suam consecrarunt, ut sunt pauperes studiosi, ad exulum, ægrotorum & egenorum alimentationē, captivorumque redēmtionem, & ad ædium sacrarum reparationem, aliosq; pios usus ea converterint, Gerhard *in loc. de magistr. polit. §. 191. in fin.* † Tantum scilicet abest, bona Deo sacrata per distractionem illam 178.
in alienum transferri usum, ut inde potius ansa & occasio præstetur, usus pios exercendi. (3.) † Non minimus quoq; error Pontificis 179.
in confusione bonorum ecclesiasticorum ipsorumvé Episcopatuum, & jurisdictionis ibidem exercendæ committitur. Vt maximè enim reditus & proventus Episcopatuum in pios & sacros solummodò usus sint collocandi, † attamen propterea non jurisdictio, ejusq; exercitium, 180.
quod ipsum seculare habetur, negligi penitus debet, idque salvis reditibus ecclesiasticis, suoq; in statu ac usu permanentibus, in personas seculares tutò transfertur. Ita nempe quidam ex nostris distinguunt Politicis, † inter res Ecclesiæ directè dicatas, & inter jurisdictionalia, 181.
aliaque, quibus Clerici superbiunt, & dominantur, ita ut hæc

Magiſtratui applicari, illa nullo modo profanari queant, Beſold. *in diſp.*
182. *polit. jurid. de jur. eccleſ. majeſt. c. 7. §. 3. in fin.* (4.) † Et quid non erroris imputabitur Papæ, ſi conſervationi bonorum eccleſiaſticorum præciſè ſit intentus, quando de pacis recuperatione agitur, quæ tanti habetur, ut nunquam ex ratione aliquâ juris vel qualitate bonorum regulariter non diſtrahendorum, impediri, aut ſaltem differri ac ſuſpendi debeat.
183. Multa ſiquidem † contra juris rationem ob ſolam pacis conſervationẽ, tranquillitatem & concordiam ſunt recepta, *arg. l. hoc modo* 64. §. *ult. ff. de condit. & demonſtr. l.* 3. *C. de primip.* Bartol. *in l. quemadmodum. C de agric. & cenſit.* quinimò pro beneficio habendum, ſi aliquid ratione pacis & quietis contra jus fiat, tradit Bald. *in tit. de pace Conſt.* §. *hoc quoque nos. in fin.*
184. † Eſtque tantus pacis favor, ut in pactionibus & pacificationibus, conciliandæ ejus causâ initis admittantur etiam ea, quæ aliàs ſunt prohibita, Cravetta *conſil.* 490. *n.* 4. & quicquid propter bonum pacis admittitur, omni jure fieri cenſetur, Anton. Corſ. *in tract. de privil. pac.*
185. *priv.* 60. † ut non ineptè dixerit Thom. entia quævis naturaliter appetere pacem & quietem, Corn. *vol.* 3. *conſil.* 183. *circa fin.* Quæ ſi Pontifex perpenderit, non poteſt non, ſi ingenuè fateri velit, craſſum agnoſcere
186. ſuum errorem, ſi præſertim ſibi in memoriam revocari patiatur, † nequiſſimam bonorum eccleſiaſticorum adminiſtrationem, vel diſſipationem potius, cujus olim anteceſſores ejus ſunt incuſati à Monacho Iohanne de Rupeſciſſa, qui anno 1350. palàm in os Cardina-
187. lium loqui hæc non reformidavit: † Imperator, inquiens, Romanus & Alemanniæ, Regeſque chriſtiani ac potentiores terrarum Principes Eccleſiaſticis donavere bona, ut ſervirent Deo; Vos verò per ſuperbiã ea profunditis, per nequitiam & luxum, eoque nomine iraſcitur Deus. Et iraſcetur aliquando magis etiam contra eos, qui tempore futuro
188. ſubſequentur. † Ita quod nobiles, qui liberaliter donarunt terras, cenſus & ditiones, largiri jam frigidiores effecti deſinant, & priùs etiam donata auferant, Guil. Paradin. 2. *de l'hiſtoire de Lyon. c.* 86. Catal. *teſtium verit. libr.* 18. diſſipatio igitur horum bonorum ſi tolerata ac diſſimulata fuerit, quidni collocatio eorundem ad pacis recuperationem probaretur?

ARTI-

ARTICVLVS III.

Triplicis intentionis detegit temeritatem.

XXVI.

MIlle-artifex est Iohannes Baptista Pamphilius, jam verò postquam 1.
cathedram Petri conscendit, dictus Innocentius X. Papa, in
simulando & dissimulando. Vt enim causis attentati sui impulsivis,
quas cupit simulatas, astutè fucum & colorem obducere didicit, *supr.*
*art.*1. Ita rursus intentionem suam temerariam strenuè dissimulare,
foliisque ficulneis pudenda meretricia tegere novit. At verò † tàm 2.
artificiosè nequaquam, quin imposturas ejus animadvertere possit, qui
visum, in morem inveteratorium verterit acutiorem, ut nec hinc
tegmine substracto, temeritatem intentionis, quam dissimulando
stabilire adnititur, manifestare nobis sit difficile. Eamque triplicem
observare licet: † Nam (1.) fastum & superbiam insignem, quâ 3.
plus quàm humanum sibi arrogat honorem ac majestatem, intendit. *Prima*
Quorsum enim præsumtuosissima illa cassatio, in Declaratione papali *Pontif.*
attentata: † Vt utraque Pacis tàm Osnabruccensis quàm Monasteriensis *intentio*
Instrumenta, omniumque in illis contentorum tenores & articuli, quę *teme-*
ullo modo sibi ac Sedi apostolicæ præjudicare viderentur, ex certâ *raria.*
scientiâ, maturâ deliberatione & apostolicæ potestatis plenitudine, 4.
ipso jure nulla, irrita, invalida, iniqua, iniusta, damnata, reproba, inania,
viribusque & effectu vacua penitus habeantur? † Quorsum impia 5.
illa relaxatio juramenti & ab omni obedientia ac observantiâ debitâ
liberatio. Vt nemo ad prædictorum articulornm, etsi juramento sint
vallati, observantiam teneatur, neque ex illis euiquam aliquod jus vel
actio, aut titulus coloratus, vel causa præscribendi, etiam longissimi &
immemorialis temporis possessio seu quasi possessio, etiam citra ullam
interpellationem seu interruptionem sit acquisita, minusvé ullo

tempore

6. tempore acquiri & competere possit ? † Quorsum pomposa illa attentati firmatio : Vt nec inauditi vel non citati contra id quidquam prætendere ; nullové tempore de subreptionis , nullitatis aut invaliditatis vitio,aliové quovis quantumlibet magno , inexcogitato
7. & substantiali defectu quisquam excipere : † nec etiam ex quovis capite, à jure vel facto, aut statuto vel consuetudine resultante, seu ex quocunque alio colore, prætextu , causâ & occasione, Edictum illud papale cassatorium notare, impugnare, invalidare, retractare, in ius &
8. controversiam revocare , aut ad terminos iuris reducere debeat; † sed semper illud validum,firmum & efficax existat ac sit, suosq; plenarios & integros effectus sortiatur obtineatque , ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat & spectabit , quomodolibet in futurum inviolabiliter observetur , sicque & non aliter per quoscunque iudices quæcunque autoritate fungentes , sublatâ eis & eorum cuilibet , qualis aliter iudicandi, declarandi & interpretandi facultate & autoritate, semper & ubique iudicari ac definiri debeat,irritumque & inane sit,quidquid
9. secus super his à quoquam contigerit attentari? † Quorsum abrogatio Canonum , legum ac statutorum insolentissima : Vt non obstantibus quibusvis Constitutionibus & ordinationibus apostolicis , tàm generalibus quàm specialibus, etiam in Conciliis universalibus editis legibus & statutis quibusvis , etiam iuramento , confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, usibus & cõsuetudinibus immemorialibus, privilegiis quoque indultis, concessionibus & literis apostolicis , quomodolibet qualificatis , etiam Consistorialiter sub quibuscunq; tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiã derogatoriarũ derogatoriis , aliisque efficacioribus & insolitis clausulis & decretis, etiam irritantibus , editis factis ac pluries & reiteratis vicibus confirmatis , approbatis & innovatis , Edictum id annullatorium
10. præcisè servetur ? † Quorsum hæc omnia ? Vtroque cæcutiat oculo, vel suâ sponte sibi eos perstringi patiatur, necessum si quis intolerabilẽ Pontificis elationem haut animadvertat , à quâ nec antecessores
11. abstinuerunt. Eminentiâ namq; inflati, † ipsius Dei thronum invadere, Christi sceptra capessere , & cæleste denique Regimen sibi arrogare ausi fuerunt. Summatim si plura in iure canonico passim comprehensa
12. liceat notare, † audacter nimis, impiè & impudenter scriptum de Papâ legimus, cæleste ipsum obtinuisse arbitrium, potestatem supremam, in

qua

qua parem non habeat, sibi commissam esse totam machinam
spiritualem, ut iudicium exercere possit, non modò super omnia
temporalia, sed etiam super angelos: Se esse omnia & super omnia,
maioremque omni alia creatura: † Suam potestatem ad cœlestia, 13.
terrestria & infernalia se extendere: se tenere sedem à Deo in persona
Petri specialiter electam, & hoc adeò verum esse, ut error dicentium
contrarium sit similis errori dicentium, Spiritum sanctum à filio non
procedere: se esse causam causarum & Dominum dominantium: Se
idem habere Consistorium cum Deo, idem tribunal cum Christo:
se esse numen quoddam & quendam visibilem Deum &c. † Ita ru- 14.
git & mugit Pontifex in jure suo minùs Canonico: ita à parasitis
suis proclamatur: ita ab omnibus vult agnosci & haberi. Vt mirum
non sit, & nostrum se talem jactare, parilemque sibi sumere potestatē,
impudenter in Pacificationem Imperii debacchari, & per hoc
autoritatem suam declaratam ac firmatam velle. † Et quidni sancita 15.
Imperii eluderet? Pacificatorum placita annihilaret? & Principum
decreta abrogaret? si quod vulgò jactant Gnathones Romani, potestas
ei competat infinita, super omnia & contra omnia, Socin. *consil.* 164.
n. 4. *in fin.* si divinitatem habeat, nec cœli modò fores aperire, sed & si
collibeat, postes effringere, Deosque ludos facere possit, Forcat. *in
cupid. Iurispr. c.* 9. † Quidni à juramentis absolveret, & à vinculo obe- 16.
dientiæ subditos liberaret? cùm & jamdudum diplomatibus publicis
Pontifices populū ad defectionem sollicitaverint, & Vasallos eorumq;
subditos à juramento fidelitatis præstito absolverint. Facinora certè
egregia, quorum illud Benedictus III. Papa adversus Ludovicum XII.
Galliæ Regem, qui Patris patriæ nomen est adeptus, fecisse perhibetur,
Bodin. *de Republ lib.* 1 *c.* 9. *p.* 219. Hoc autem † Sixto V. Pontif. imputatur, 17.
omni potestate & regno dejectis Rege Navarro & Principe Condensi,
vasallos eorumq; subditos Anno 1585. mense Septembr. à jurisjurandi
vinculo liberanti; qua de relaxatione hæc verba exhibet Bulla papalis:
† Quin etiam Proceres, Feudatarios, Vasallos, subditos, & populos 18.
Regnorum, Ducatuum, Principatuum & aliorum dominiorum præ-
dictorum, etiam alium superiorem non recognoscentes, & cæteros
omnes, qui illis quomodocunq; juraverunt, à juramento hujusmodi,
ab omni prorsus dominii, fidelitatis & obsequii debito, perpetuò
absolutos esse, prout nos illos omnes, tàm universim quàm singulatim,

autoritate præsentium absolvimus ac liberamus, præcipimusque & interdicimus, eis universis & singulis, ne illis eorumq; monitis, legibus
19. & mandatis audeant obedire, apud Auct. *bruti fulm. p.* 195. † Quidni porrò Pontifex inauditos etiam & non citatos agendo & excipiendo repelleret, omnem litigandi causam præscinderet? Cùm quid justum vel injustum sit, à nemine informari debeat, ipsemet satis informatus, omniscius ac plenus sapientiæ, in tantum, ut omnia humana negotia &
20. jura non secus ac Deus in scrinio pectoris sui habeat, & † quidquid ille vel approbat vel reprobat, id omnes approbare debant, ut multis autoritatibus docet Quintil. Mandos. *in reg. Cancellaria.* eique absolutè credendum sit, ne istud os mentiri asseramus, unde veritas oritur, ex Bonifacio *Onuphr. Panvin. c. 4. in fin.* Quidni tandem legibus, rescriptis
21. & statutis quibuscunque autoritatem derogaret? † postquam is solus omnium legum humanarum arbiter & judex est supremus, Felin. *in cap. nonnull. extr. de rescript. n.* 8. quin & contra jus divinum dispensare valet, Prosp. Farinac. *tract. de inquisit. q. b. n.* 23. Unde Iohan. à Capistrano, Benè, inquit, potest Papa dispensare, etiam contra autoritatem Apostoli, quia Papa major est Apostolo, sicut Petrus fuit majoris autoritatis, quam Paulus, loco Petri & sic major Paulo. Unde si par in parem non habet
22. Imperium, multò minus habet imperium minor in majorem. † Et est valdè mirabile illud Glossæ & sequacium, *in cap. super eo. de bigamia.* quod Episcopi possint dispensare cum bigamis, & Papa non possit plus, quàm alij minores Episcopi, cùm ipse habeat plenitudinem potestatis, cæteri verò partem sollicitudinis, & sic tenendum est, quod Papa possit dispensare cum bigamo, non obstante autoritate Apostoli, dicentis: unius uxoris virum. *de autor. Papa & Concilii p. 3. secund. part. princip. n.* 1.

XXVII.

23. Eò scilicet temeritatis & impudentiæ progreditur Papa, † ut potestatem suam ultra vires humanas extollat ac divinum sibi vendicet honorem; quod licet hodie Officiales aulæ Romanæ suppudentes inficias eant, & in primis ICti Dillingenses mendacij ac falsi crimine contra sedem Romanam à Lutheranis ea proferri contendant, *in*
24. *composit. pac. p.* 619. & 610. † superbiæ tamen & jactantiæ illius, vel ex hoc Edicto papali satis convincuntur, quam & alia Catholicorum

paradoxa

paradoxa non obscurè probant. Annon enim solius est divinitatis, rerum naturam immutare, & substantialia rei unius alii applicare? † Et 25. tamen Pontifici hanc attribuere potestatem veritus non est Petrus Albinianus Tretius: Papa, inquiens, dicitur Ecclesiæ arbitrium, *l.1. in fin. C. de summ. Trinit. & fide cathol.* & ideò etiam immutat substantialia unius rei, applicando alii. Et paulò post: Item † de injustitia potest 26. facere justitiam, corrigendo jura, & illa immutando, *cap. ut debitus. extr. de appellat. cap. non debet. extr. de consanguin. & affinit.* obtinetq; plenitudinē potestatis, *cap. decreto 2. q. 1.* Tret. *in tract. quem aureum appellat, de Pontif. potest. scripto ad Clementem VII. Pontif.* §. *divini numinis. n.* 16. quod idem reperire est † apud Cataldinum de Boncompagnis, in scripto *de potest.* 27. *Pontif. ad inclytam civitatem Ferrariæ de anno* 1488. §. *nec mirum. n.* 81. ibi: Ipse solus potest facere de aliquo aliud. Et quis præter solum Deum ex nihilo aliquid facere ac creare potest? † Cujus tamen potestatis 28. Catholici pontificem quoque participem reddunt; Ita enim Petr. Albin. Tret. *cit. loco. n.* 16, Et de nullo potest facere aliquid; Nec non Cataldin. de Bon compagn. *dict. loc.* Ipse enim solus (Papa videlicet) potest de nihilo aliquid facere. Nonne etiam soli Deo debetur omnipotentia? quod forsan nemo qui micam pietatis habet & à blasphemiâ abstinet, in dubium vocabit; † Nihilominus Parasiti Romanenses 29. omnipotentiam quoque Pontifici adscribere haut erubescunt; Instar omnium sit nobis testis prædictus Petrus Albin. Tretjus *loco alleg.* hæcce intrepidè proferens: In omnibus & per omnia potest Papa dicere & facere, quidquid placet, auferendo jus suum cui voluerit, quia nemo est, qui ei dicere possit: Cur ita facis? *n.* 4. At rursus: † Nam 30. apud eum est pro ratione voluntas; non habet superiorem, & ipse est super omnes. *n.* 15. Et iterum: Benè dici potest de jure: Papam penè omnia posse, quæ Deus potest, excepto peccato. *n.* 11. Quisnam homo expers peccati, de cujus factis & erroribus haut disceptare, vel saltem ambigere liceret? Inter homines non reperietur ullus, à † quorum 31. tamen consortio excipiunt Romanenses Pontificem suum, de quo sic Catald. de Bon compagn. *in alleg.* §. *nec mirum.* ibi: Nec licet de Papa alicui disputare; ipse est qui superiorem non habet: Facta Papæ excusantur, etiamsi videantur injusta, & licet Papa faciat, quod nobis videatur injustum, nihilominus est justum. Nec non Petr. Albin. *dict.* §. *divini numinis. n.* 5. ibi: Quod si Papa præceperit aliquid injustum,

 cùm

cùm non habeat superiorem, coram quo agi possit, illi obediendum est in spiritualibus, quia nemini licet de ejus factis judicare. Et *n. 29.*
32. † Dubitans de potestate Papæ, dubitat de fide catholica, & tanquam sacrilegus est censendus; ac instar sacrilegii est, disputare de potestate Papæ. Parilemque dementiam produnt alia paradoxa, quæ singulatim
33. heic referre instituto prohibemur. † Non possumus non tamen subnectere encomium universale, ceu fontem omnium aliorum dogmatũ, à Catald. de Bon compagn. hisce verbis Pontifici decantatum: Papa non puri hominis, sed Dei vivi vices gerit in terris, & totius mundi appellatur dominus. Est sacerdos maximus, summus Pontifex, heres Apostolorũ, primatu Abel, gubernatu Noë, patriarcharum Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, autoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus ipse est, ut Bernhardi utar eloquio, diligentium pater summus, & particeps omnium timentium eum, Christianorum dux & ordinator, omnium pastor, magister sapientum, oppressorum refugium, advocatus pauperum, miserorum spes, cæcorum oculus, mutorum lingua, baculus senum, malorum metus, bonorum gloria, potentum virga, tyrannorum malleus, Regum dominus, moderator legum, orbis lumen, Vicarius Christi, successor Petri & mundi arbiter, dominus & magister. *in cit. tract. de potest. Papa.*
34. *§. proinde loquar. n.* 14. † Ex hoc encomio si quintam extrahere essentiam alicui lubentia erit, procul dubio in divinitate illa recumbet, cujus Pontifex particeps factus, pro Deo est catholicis, quod dissimulare
35. nequivit Joh. à Capistrano: Papa, † inquiens, est Deus in terris; cui tanquã Christo flectatur omne genu, quia ipse sponsus dicitur Ecclesiæ. *de autor Papa & Concil. p. 3. secund. part. princip. n.* 1. 3. *&* 6. nec abstinere potuit à parili asserto Ioh. Hieron. Alban. Cardin. in hæc prorumpens verba: Papa canonicè electus, est Deus in terris. *in tract. de potest. Papa. in praef. n.* 22.

XXVIII.

36. Quam non ergò jacturam sustinebit † Pacificatio nostra ex fulmine papali, si id pro divino habendũ? Sed exhorrescat cœlum, contremiscat terra, stupescant Elementa ad hæc blasphemiarum portenta. Vnde venenum illud Antichristi magni, à diabolo in Ecclesia seminatum

profluxit,

profluxit, de quo jam olim Daniel: Faciet juxta voluntatem suam, elevabitur & magnificabitur adversus omnem Deum, & adversus Deum Deorum loquetur mirabilia. *Dan.* 11. † Et Apostolus: Efferet 37. sese adversus omnem, qui dicitur Deus aut Numen, adeò ut in templo Dei sedeat, ostentans seipsum ut Deum. 2. *ad Thessal.* 2. Haud certè tolerandam † censent hanc temeritatem ex ipsis Catholicis, qui saniori 38. sunt mente & judicio, quin potius vehementer eam detestantur; & nos cum ipsis. Quâ reprobatâ, nec quidquam periculi vel Instrumento pacis vel Pacificatorum autoritati pertimescendum, † salvis semper 39. existentibus, suoque vigori relictis Principum sancitis, relaxatione à præstito juramento, nulliter ac impiè attentatâ, aliisque clausulis insolentibus penitus rejectis. Quod † si enim lite & controversiâ quondam 40. existente, inter Regem Angliæ & Regem Franciæ super regione, quam habebat citra mare præter Comitatus Ojæ & Guines, cujus historiam describit Igneus *in tract. utrum Rex Franciæ recognoscat Imperium. n.* 42. initâque desuper transactione juramentô firmatâ, & rursus à Rege Franciæ fractâ, super observantiâ jurisjurandi Papa ab Angliæ Rege consultus relaxationem ejus renuerit, propterea † quod ad se non 41. spectaret, homagia fidelitatis ceu de re temporali præstita dissolvere, Bald. *vol.* 2. *consil.* 275. *& in cap. quæ in ecclesiarum. extr. de Constit* quo jure hanc sibi potestatẽ vindicabit hodie Pontifex, ut vinculum jurisjurandi pro obedientia factum rursus laxet, vel saltem obedientiæ debitum impediat, jusque Magistratui politico ex obligatione subjectorum juratâ acquisitum tollat? Fas † ei nequaquam hoc esse, jam dudum 42. ipsemet decrevit Pontifex *in Clement. pastoralis. de sentent. & re judic.* ac verè decidit Felin. Si Papa mandet juramentum à subditis, Principi ac superiori præstitum non observari, haut obediendum esse, quia peccandi licentiam dare nequit. *in cap. si quando. extr. de rescript. & in cap. accepimus. extr. de fide instrum.* † Ac si ulterius progrediamur, temeritas 43. hæc Pontificis longè majorem impliceat impudentiam, quippe quod relaxatio juramenti absque dispensatione contra jus divinum, obedientiam subditis injungens, *cap.* 13. *ad Rom.* fieri haut possit, quam dispensationẽ tamen nec ipsimet largiuntur Papæ Catholici † Quodq; 44. contra jus divinum dispensare non valeat, sententiam dixerunt etiam illi, qui potestatem Pontificis aliàs præter morem modumq; debitum extulerunt, Turrecrem. *in lib.* 2. *de Eccles. c.* 107. Ioh. Driedan. *in lib. de*

 libert.

*libert. christian.p.*204. Iacob. Almaign. *in tract. de potest. Eccl. c.*13. aliique plurimi, quos cumulat Auctor scripti *de Papatu Rom. anno* 1617. *Editi, c.9. p.*163. † Licet quoque ab hoc asserto alii exceperint leges divinas morales, & contra has saltem dispensandi arbitrium Papæ reliquerint, quos sequitur Bald. *in l. rescripta. n.* 9. *C. de precib. Imp. offer.* Ancharan. *consil.*378. adulatoriè tamen & impie magis quàm verè hanc exceptionē defensari, benè monet Reinking. *de regim. secul. & ecclesiast. lib.* 1. *class.* 1. *cap.* 2. *n.* 8. † Et unde porrò Pontificis potestas, quàm in abrogandis Principum legibus & Constitutionibus intendit? Licentia hæc nondū probata est. Nec enim Christus vel Petrus sancitis Principum rogandis vel abrogandis unquam operam dederunt: Quod igitur ab Antecessoribus non est factū, à Successoribus falsò usurpatur, si jam ponamus, Romanos Pontifices Petri successores ac Christi vicarios esse & salutari, Anonym. ICtus *de translat. Imper. à græcis ad Turcas factâ, oppositâ disceptationi Roberti Bellarm. de ead. re. c.* 7. apud Goldast. *in polit. Imp. p.* 9.

45. (margin)

46. (margin)

XXIX.

47. Non satis autem visum est Pontifici veneno illo (quod eo ipso die, quo à Constantino M. urbs Roma Sylvestro Pontifici fertur donata, diabolus à se seminatum in aëre horrendâ voce exclamavit, referente

48. Iohan. Majerio *lib. de differ. schism. p.* 35.) Ecclesiam & cœlum infecisse, † si non etiam topicum id pestilentissimum in terram simul sparsisset, Regumque ac Principum eminentiam, quæ post DEUM in terris primarium meritò obtinet locum, fœdissimè conspurcâsset; sumendo sibi potestatem pariter ac superioritatem in Principes ac Magistratus politicos, quam non obscurè etiam Innocentius noster in Edicto suo

49. nullitatis putativæ declaratorio intendit. † Estq; temeritas hæc altera, hoc ipso sat declarata, quod potestate suâ omnibus, à personis, quibuscunq; etiam Imperiali, Regali & aliâ quavis dignitate fulgentibus, jure & autoritate Magistratus politici publicatis legibus, sancitis & Edictis derogatum velit. † Nec noviter, si quid jamdudum antecessores ejus de hac superioritate jactaverint, ex scriptis pontificiorum repetamus

50. inter quos moderatior est Cardinalis Bellarm. *lib.* 5. *de Pontif. c.* 1. per omnia cum alijs haut concors, & per indirectum saltem jus hoc Pontifici competere contendens; Ex quo etiam parùm abfuisse dicitur,

Altera Pontificis intentio temeraria.

† quia

† quin opera ejus propter assertum hoc censurâ pontificiâ fuissent 51.
abolita. Vehementiores autem sunt alij, Alvar. Pelagius, Hostiensis, Panormitanus, & reliqui Canonistæ, † ex ipso etiam jure divino 52.
patrocinium dogmatis illius suscipientes. Sed cùm horum argumentis ex asse, quod dicitur, satisfecerint, jam antea Theologi & Politici excellentissimi, inter quos haut postremi fuerunt Ioh. Gerhard, Martin. Hasenreffer. Leonh. Hutter. Defensor pacis ad Imp. Ludovicū, Melch. Goldast. Henn. Arnis. Autor papatus Rom. alijq; quamplurimi, † non 53.
est quod nugas pontificiorum remoram nobis injici patiamur ullam, brevissimè tantummodò ea dispicientes, quæ contra Ferdinandum I. à Pontifice torqueri videbantur, in quorum discussione operosus fuit tunc temporis Vice-Cancellarius Imperij D. Geosg. Sigism. Seld. *in consil. super attentato Pij V. Pontif. contra electionem Imperatoris iniquissimo.* Summatim verò ut ea comprehendamus, (1.) † dogma hoc pontificium 54.
jure divino suffultum, non abs causâ forsan quis existimaverit, si ut adsolent vulgò adulatores Curiæ Romanæ, probationem ex sinistro textuum quorundam in sacro Codice intellectu, ei persuadere gestiant, ex illo nempe Apostolorum: Domine ecce duo gladij hic; & addito CHRISTI responso: Satis est, *Luc.* 22. duobus enim gladijs utrumque regimen, seculare & ecclesiasticum indigitari ajunt. † Nec non ex verbis 55.
Iehovæ: Ecce ego constitui te super gentes & regna, ut evellas & destruas; & disperdas, & ædifices, & plantes, *Ierem.* 1. (2.) Et quo firmiori Pontifices stent talô, defensores hujus asserti † autoritatē juris canonici 56.
addunt, in quo litem hanc ita decisam prætexunt, ex *can. omnes. dist* 22. ubi Salvator Apostolo Petro æternæ vitæ clavigero, terrena simul & cælestis Imperij jura dicitur commisisse; † Quin & ex prædictis juris 57.
divini textibus, alijsq; rationib. eandem firmavit decisionem Bonifacius VIII. *in extravag. unam sanctam. de majorit. & obed.* quiq; textus alij passim à Canonistis hanc in rem adducuntur. Quo & (3.) † imprimis pertinet 58.
gloriatio de donatione Constantini, Ludovici Pij, aliorumque Impp. Regum ac Principum sedi Romanæ factâ, quodque de translatione Imperij occidentalis à Græcis ad Germanos, in persona Caroli M. gratiâ Apostolorum & autoritate papali exercitâ, vulgò jactitant, quâ etiam superbit Innocentius III. *in cap. venerabilem extr. de elect.* † Subnectunt 59.
porrò (4.) exempla Imperatorum ac Regum à Pontificibus soliô dejectorum, veluti Gregorius II. Leoni Imp. à se excommunicato,

vectigalia

vectigalia ab Italis solvi prohibuit, & parte Imperij eum mulctavit; Zacharias Childericum deposuit, & Pipinum Caroli M. patrē Regem Francorum creari jussit; Leo III. Imperium à græcis ad Germanos transtulit; Gregorius VII. Henricum IV. Imp. deposuit, alium que eligi
60. jussit; † cujus vestigia pressit Innocentius III. Otthonem IV. Imperio dejiciens; Innocentius IV. Fridericum II. & Clemens VI. Ludovicum IV. deponens. Ita scilicet Pontifices jus superioritatis in Reges ac Principes toti terrarum orbi ipso facto satis perhibentur declara-
61. visse. † Ac tandem (5.) urgent Vicariatum, quem Salvator cum absolutâ potestate, tàm in secularibus & terrenis, quàm spiritualibus causis & negotijs Pontifici concesserit, juxta effatum ejus in Evangelio: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ. Nec enim quidquam hâc locutione exceptū contendunt passim Canonistæ, partes Pontificis defensantes.

XXX.

62. Sed ineptiant † tandem officiales Romanenses, quamdiu velint, nos nequaquam nugas hascè nobis persuaderi patiemur, nec alij id facient, si scripta Theologorum & Politicorum, superioritatē papalem in Reges ac Principes expugnantium, diligentiori studio evolverint, quorum laborem heîc nolumus repetitum, primis tantummodò digitis tela illorum fortissima, quæq; Vice-Cancellarius Imperij D.
63. Seld. in Pium V. Pontif. strinxit, tangentes. Piaculum verò † haut erit, (1.) titulum hujus juris explorare, & num jus cum hoc bonâ exerceat
64. fide, an verò ut prædo id obtinuerit. Multa enim, † brevitati studentes, si ex aliorum scriptis contrahamus, hoc illos evicisse certò confidimus, primis illis sexâ nato CHRISTO seculis, in Ecclesia Romanâ neminem sibi illum primatum, nedum superioritatem aliquam in Reges ac
65. Principes arrogasse, usq; adeò, † ut Gregorius Magnus titulum Oecumenici prorsus repudiaret, hôc attestato: Quisquis sibi in Ecclesia hunc honorem sumere ausit, eum aut Antichristum ipsum esse, aut certè hujus præcursorem, titulum verò hunc anno 607. Bonifacius III. venditavit, utq; in posterum Roma caput Ecclesiarum & B. Petri sedes haberetur, Episcopus autem Romanus, deinceps Oecumenicus agnosceretur, à Phocâ Imp. mirâ astutiâ obtinuit. Cæpit ita in hoc

Pontifice

Pontifice primatus, ac temporis progressu tantum incrementi sumsit, ut successores in ipsos etiam Imperatores, Regesque ac Principes alios sibi nefariè arrogarent jus aliquod & dominium, ex quo privatio Regnorum, eorumq; translatio secuta; † Quo titulo id factum, jam 66.
facilè dignosci poterit, non ex concessione, quam jactitant, divinâ; non jure successionis hereditariæ; non ex patrimonio Petri, non jure belli, vel electionis; non decreto Senatûs populiq; Romani, nec alio quovis titulo honesto, bonaq; fide; sed titulo pro prędone, mala fide, vi ac dolo jus ac dominium istud occuparunt, † utq; Imperatoribus, Regibus, 67.
Principibus, & seculi hujus Dynastis terrorem incuterent, fraudibus, imposturis artibusq; nequissimis usi sunt. An ergò de hoc jure verè ac tutò gloriari poterunt? (2.) † Cumq; jam diu ante primatum hunc 68.
Reges ac Principes sceptra tenuerint, ac regimen feliciter gesserint, quippe quod Iulius Cæsar ante CHRISTUM incarnatum vixerit, & sub Augusto fuerit natus, Tiberijq; Cæsaris tempore crucifixus, quos & ipsemet Salvator pro Imperatoribus agnovit, debitamque ijs præstitit obedientiam, qui non insolenter dixerit, potestatem illam secularem ex primatu Pontificis profluxisse? Causa † siquidem præcedere debet 69.
causatum; si verò regimen politicum originem suam hinc non traxerit, unde superioritas Pontificis in Principes ac Reges? Non abs re argumentum hoc urget D. Seld. contra Pium V. *in alleg. consil. p. 46.* benè advertens, non parùm per id detractum iri (3.) Politicorum dogmati ut vulgatissimo, ita etiam verissimo: † Reges ac Principes regimen ac 70.
potestatem suam à DEO immediatè accepisse; ut ipsemet fassus est Papa Innocentius de potestatibus secularib. absq; ullâ titubatione asseverans, à DEO eas fuisse concessas, ijsq; non DEI ministerio datum esse gladium, *in can. quæsitũ* 23. *q.* 4. † Nec minus id firmat, judice Seldo, communissimũ 71.
illud Politicorum assertum, quo omnia ferè ICtorum scripta sunt referta, quod Reges ac Principes Imperio non subjecti haut recognoscant superiorem; Quomodo ergò Papam? Et quidem de Rege Galliarum inficiari hoc † nequivit Innocentius III. *in cap. per venerabilem* 13. *vers. Insuper* 72.
cum Rex superiorem in temporalibus minimè recognoscat. extr. qui filij sint legit. & clarius in *cap. novit. ibi: Non putet aliquis, quod jurisdictionem illustris Regis Francorum perturbare aut minuere intendamus, cùm ipse jurisdictionem nostram nec debeat nec velit impedire. extr. de judic.* quod de Imperatore Romano multò certius asserendum, infert Seld. *dict. loc. p.* 48. (48.) Et quid multis;

73. † postquam ipsum jus canonicum haut nos derelinquit, sed sanioris judicij Pontifices in nostram transierunt sententiam, ita enim de hoc canones: Nos attendentes, quod ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam, de talibus possessionibus judicare, ne videamur juri Regis Anglorum
74. detrahere. *in cap. causam. 2. extr. qui filii sint legit.* † nec non in *cap. tuam. extr. de ordin cognit.* ubi Honor. III. præsupponit, se idoneum judicem ad cognoscendum de natalibus Reginæ Cypri, at verò ad cognoscendum de ipsius successione, non ipsum, sed Regem Francorum existere competentem. Pariliq; firmitate id constat ex *can. quoniam. dist. 10. can. cum ad verum. can. duo sunt. dist. 96. can. nos si incompetenter. §. sed notandum. 2. q. 7.*
75. Et urget tandem (*f.*) D. Seld. confusionem potestatis secularis cum spirituali intolerabilem, si Pontifici utraq; concederetur: Verè siquidem & Pontifices & Imperatores absurdum judicaverunt, si promiscuis actibus rerum turbentur officia, & præcipuè Clericis opprobrium dicitur, si peritos se velint ostendere discrepationum forensium, sed singula officia singulis sunt committenda, *cap. 1. dist 89. can. cum singula*
76. *extr. de prabend. in 6to. l. nego. C. de assessor. l. consulta. C. de testam.* † Ergò si Pontifex Romanus temporalem exercere potestatem præsumat, desijt esse quod erat, & haut magis amplius est Pontifex, quàm cadaver aliquod omnis spiritus ac vitę expers, hominis appellationem meretur. Ronchos si propterea ducere velit Innocentius noster, provocamus
77. † ad judicium D. Bernhardi, Eugenio Pontifici sic obloquenti: Esto, ut aliâ quacunque ratione hæc tibi vendices, non tamen jure Apostolico. Neq; enim Petrus dare tibi, quod non habuit, potuit. Quod habuit,
78. dedit Solicitudinem super Ecclesias. † Numquid & dominationem? Audi ipsum: Non dominantes, ait, in clero, sed forma facti gregis. I. ergò tu, & tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis: Si utrumq; simul habere voles, perdes utrumque. Forma apostolica hæc est: Dominatio
79. interdicitur, indicitur ministratio; † In criminibus, non in possessionib. vestra est potestas: quoniam propter illa, non propter hæc, accepistis claves regni cœlorum. Quęnam tibi videtur major dignitas, dimittendi peccata, an prædia dividendi? nulla comparatio. Habet hæc infima & terrena (dignitas) judices suos Reges & Principes terræ. Quid fines
80. alienos invadis? Factus es superior, sed ad quid? † Non ad dominandum opinor. Nos igitur, ut multum sentiamus de vobis, impositum

senserimus

senserimus ministerium, non dominium datum. Disce, sarculo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias Prophetæ. Hucusq; Bernh. *tom.* 2. *pag.* 131.

XXXI.

Nec moramur argumenta, † quibus Catholici temporalem Papæ potestatem, ejusq; superioritatem in Reges ac Principes propugnatam eunt. Refellere namque illa, nullum foret nobis negotium, & larga responsorum suppeteret messis, si non insignes Theologi pariter & Politici nos prævenissent, à quibus cum pensum hoc satis feliciter sit pertextum, actum agere nolumus, oculos tantummodò † in scuta dirigentes, eorumq; nervũ breviter referentes, quibus tela Pij V. Pontificis excepit prædictus Imperij Vice-Cancellarius D. Seld, catholicæ quantumvis religioni addictus, à nostris tamen Theologis orthodoxis hac in re nequaquam alienus. † Deridet hinc (1.) sinistrum illum & affectatum textuum biblicorum intellectum, & quod ex dicto Apostolorum de duobus gladijs. *Luc.* 22. firmamentum petunt, pro nihilo habet, idque de gladijs accipit materialibus, quibus Apostoli aggressum Iudæorum repellere conabantur, ut propterea illis Salvator ironicè responderit: Satis est, quasi dixisset, nequaquam hæc arma sufficient, ex Theophylacto. † Et addit porrò, licèt ex professo Theologus non sim, attamen id certè scio, ex allegoricâ Scripturæ interpretatione articulos dubios haut probandos, minus verò decidendos esse: Quis est enim, qui (nisi impudentissimè) positum simpliciter, allegoricè pro se interpretabitur, si non habeat manifesta testimonia, quorum lumine obscura illustrentur? secundum verba D. Augustini *in Epist. ad Vincentium.* † Et si omninò, inquit, allegoricum expeteretur interpretamentum, placeret explicatio D. Ambrosij, qui gladios istos non de spirituali ac temporali potestate, sed de utroque Testamento, veteri & novo acceptos voluit; subnectitque votum hoc: *Utinam † Papæ gladii isti magis curæ essent, quàm temporalis potestas; procul dubio Ecclesia melius haberet.* Et tandem respondet: † Posito intellectu duorum illorum gladiorum de spirituali ac temporali potestate, non quidquam tamen adjumenti suppeteret hinc Pontifici, utramque potestatem sibi arroganti, cùm nullibi uterque iste gladius Papæ fuerit concessus, salvo Apostolorum responso subsistente, † si unus duntaxat, quo spiritualis indigitatur potestas, Papæ & Clero suo relinquatur, alter verò Regibus & Magistratui politico cedat. Quem intellectum secutus quoq; est Fridericus

81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88.

89. Barbarossa Imp. *in responso Legatis pontificiis dato apud Ligurin.* † Quod verò ad dictum *Ierem.* 1. attinet: Ecce ego constitui te super gentes & regna, ut evellas & destruas, & disperdas, & ædifices, & plantes &c. exponit illud Vice Cancellarius Imperii cum D. Hieronymo vel de ipsomet Salvatore Christo, vel de officio Prophetæ in rebus tantummodò
90. spiritualibus. Cæteroquin † cum Ieremias non fuerit Pontifex, sed Propheta, fateri oporteret Pontificem, non ipsi tantummodò, sed cuivis Episcopo & ministro verbi superioritatem politicam in Imperatorem Regesq; ac Principes concessam esse, & ita quidem, ut regimen seculare ipsimet gererent, potestatemque temporalem actualiter exercerent, cùm verba illa: *Vt evellas & destruas &c.* ad actum referantur.
91. (2.) † Autoritatem verò juris canonici duplici modo excipit Seldus: Primò enim omnes illos sacri Codicis textus, qui pro superioritate proferri & allegari queunt, ad potestatem in causis spiritualibus
92. restringit, veluti sic explicat † mentem Nicolai Papæ *in alleg. can. omnes* 1. *dist.* 22. juxta id, quod eidem Petro in Evangelio dicitur: Quodcunq; ligaveris in terrâ, erit ligatum quoque in cœlis; cum quo intellectu etiam transit Decius *in cap. novit. extr. de jud.* Quo & tendere ait rationes à Bonifacio IIX. *in dict. Extravag. unam sanctam. de major. & obed.* adductas,
93. † ut nec propterea Bonifacii assertum fuerit probatum, sed à successore ejus Clemente V. abrogatum *in Extravag meruit. tit. de privileg.* Deinde parum fidei tribuit canonibus istis novis, eosque penitus suspectos
94. reddit. Ac certè ita est, ut pro autoritate & superioritate Papæ † absq; aliis fundamentis nil firmiter ex jure canonico probari queat, quia Pontifices in propriâ testantur causâ, adeoque fidem merentur nullam, *l.* 10. *C. de testib.* nisi quis Clericos ob statûs qualitatē à regulâ communi velit exceptos; nimis tamen licentiosè, cùm & horum oculi soleant obcæcari, quando de proprio ipsorum agitur commodo, Ruin. *vol.* 5.
95. *consil.* 137. *n.* 13. † Et, ut Ferrar. ait, portant Clerici conscientiam in caputio, quo dejectô eorum quoque abjicitur conscientia, *in pract. Papiens. in form. Respons. rei, verb. præscriptionis. n.* 28. *circa fin.* Nec major
96. fides habenda Canonistis, † quippe qui pro suâ superstitione & seculi sui errore ducti, Papæ blandiri consueverunt, ut hinc illis non magis quàm aliis Doctoribus credendum sit, nisi opinionem suam authenticâ probaverint Scripturâ, *c. ego solus. dist.* 9. *c. nolite timere.* 11. *q.* 3. Vana quoq;
97. est (3.) gloriatio assentatorum † Curiæ Romanæ de donatione Constantini,

ſtantini, Ludovici Pii, aliorumque Impp. Regum ac Principum, Sedi Romanæ factâ: nec non de papali translatione Imperii occidentalis à Græcis in Romanos. Et tantò quidem futilior, inquit Leonh. Hutter. quantò majori ſtudio & evidentiori argumentorum pondere, etiam ante renatam Evangelii doctrinam à Theologis, ICtis, Hiſtoricis, aliiſque Scriptoribus ipſi etiam religioni pontificiæ addictis, funditus ea eſt protrita & everſa; Taceo eas jam † ſcriptiones, quæ noſtro hoc 98.
ſeculo de hoc ipſo argumenti genere à Germanis, Gallis, Anglis, Batavis, alijſque in lucem ſunt editæ, & fictitiæ huic pontificiorum machinę oppoſitæ. *in act. contra Iacob. Gretſerum de Impp. Regum ac Principum chriſtianorum in ſedem Romanam munificentia. c. 2. p. 13.* ac ſpeciatim ad ſingulas quaſque donationes deſcendit, † eaſque ita convellit, ut aqua, 99.
quod dicitur, pontificiis verè hæreat, & nil præſidii ſuperſit, quo mendacia ſua palliare queant, quod cùm & alii fecerint, in præſentiarũ actũ agere nolumus; Verba ſaltem D. Seldi, quibus, ipſemet pontificius, donationem Conſtantini penitus expugnat, ſubnectentes; Sunt verò hæc: † De donatione Conſtantini, cujus tenor recitatur in *palea Con-* 100.
ſtantinus, 96. diſtinct. inprimis magna eſt quæſtio inter Dd. modernos, utrum valuerit, vel non? Et poſito, quod valuerit, utrũ poſſit revocari? Sed in effectu quæſtiones hæ non admodum ſunt neceſſariæ, attento quod dicta *palea Conſtantinus*, videtur eſſe merũ figmentum. Impugnatur enim efficaciſſimis argumentis à Laur. Valla, quem noſtro tempore ſecuti ſunt Hutten. & Lutherus, quilibet propriis editis libris. † Et 101.
quamvis ille propter innatam maledicentiam, hic verò propter inimicitiam, quam ex profeſſo cum Pontificibus geſſit, poſſit eſſe ſuſpectus, tamen alii graviſſimi tres Doctores, Nicol. Cardin. Cuſanus *in lib. 2. c. 3. de concord. cath.* Papa Pius, D. Antonius Archiepiſcopus Florentinus *in prim. part. hiſtor.* non minùs quàm prædicti dubitarunt. † Quã falſam 102.
eſſe, inde convincitur, quod ex omnibus hiſtoriis conſtet, Conſtantinũ Magnum diviſionem Imperii inter filios teſtamento feciſſe, ex quâ Conſtantino juniori Roma cum toto occidentali Imperio obtigerit, quemadmodum latius deducit Naucler. *Chron. fol. 2. gener. 2.* conſtat etiam, quod Iuſtinianus Imp. qui plus quàm ducentis annis Conſtantinum M. ſecutus eſt, Galliam & Hiſpaniam poſſederit; *l. in nomine. C. de off. præf. prætor. Afr.* † Et in eccleſiaſticis hiſtoriis legimus, quod templũ 103.
Pantheon Romæ demum à Phocâ Imp. qui trecentis annis poſt Con-

 ſtantinum

ſtantinum M. vixit, Papæ Bonifacio IIX. traditum ſit. Quantum verò auctoritatis illa palea cum aliis ſimilibus ſibi vendicare poſſit, apparet ex traditis per Ba. de S. Blaſio *in Comment. ſuper Rupert. Deret.* Et poſito, quod textus ille fide dignus eſſet, tamē non poſſet aliter intelligi, quàm de reſidentiâ, quam uno ore omnes hiſtorici per Conſtantinū à Roma Byzantium dicunt eſſe translatū. Meritò Archidiac. dicit, quod gloſſa malè ex illo textu collegerit, Imperiū eſſe apud Eccleſiam Romanam.

104. Hucuſque Seld. *in conſil. ſæpius alleg. p.* 27. *&* 28. † Nec reticere poſſumus ingenuam Aeneæ Sylvii, (poſtea Pontificis Pii II.) confeſſionem: Miſeros nempe, inquit, Legiſtas anxiè diſputare, an hęc donatio valeat, quæ tamen nunquam facta, *in dial. quem in German. edidit, chart.* 21. quod nec diſſimulare quivit Bartolus, Pontificis ſaltem autoritate percitus,

105. † expreſsè id fateri nolens: Cum enim hic multa non obſcurè contra donationem Conſtantini diſputaſſet, tandem, Videte, inquit, quod nos ſumus in terris Eccleſiæ, idcirco dico, quod illa donatio valeat. *in præf.*

106. *ff. n.* 14. & apprimè veſtigia Bartoli preſſit Bolognin. † Non valeret, inquiens, donatio Conſtantini, niſi eſſet fidei noſtræ refugium. *ad Auth. habita. C. ne fil. pro patre. n.* 51. ac ſalſè donationem hanc eluſerunt Veneti, à Papâ per Legatos quæſiti, unde jus dominationis in mari Adriatico ſibi vendicarent, reſpondentes: Se mirari, quod titulus ejus poſſeſſionis à Venetis peteretur, cū Papa in inſtrumento donationis à Conſtantino factæ, parte exteriore majuſculis literis ſcriptum in Archivis haberet,

107. Camer. *in medit. hiſtor. c.* 61. Idem † ferè judicium eſt de aliis quibuſcunq; donationibus Impp. à Canoniſtis ipſiſque Pontificibus, effictis, Arnis. paſſim. *in tract. de poteſt. temp. Pontif. in Princ.* Vollateran. *lib.* 3. *geograph.* Ac ſi omninò quidquam de terris Imperii Imperatores in Pontifices

108. tranſtuliſſent, † an id jure ac firmiter factum quis exiſtimaverit? Ipſo jure ſanè translationes ejuſmodi irritæ ac nullæ fuiſſent, nec enim regiones ac terras Imperii diſtrahere & alienare potuerunt, *l. benè à Zenone. C. de præſcr.* 40. *ann.* Et qui ſubſiſtere quiviſſent hæ donationes,

109. incapacibus factæ? Iuris prohibitione † haut parùm obſtante, §. *non ſolum. Inſt. de legat. l. multum intereſt. ff. de V. O.* Incapaci ſatis verò probationem haut altius repetere ſuſtinemus, quam ex epiſtolâ Nicolai Papæ, Pontificē ab exercitio & nomine Imperatorio abſtinere, nec dignitati temporali ſe immiſcere jubentis, *in can. cum ad verum.* 6. *diſt.* 96. unde & in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. *can.* 42. ſancitū: Ne clerici

jura

jura sibi vendicent laicorum temporalia. Vrgere (4.) † si velint Pontifices fulmina dejectionis in Reges ac Principes ab ipsis emissa; non equidem ea Vice Cancellarius Imperii inficiatur, sed quid firmiter ex hisce & aliis ferè infinitis sceleribus atq; flagitiis stupendis inferendum? Exempla non jus, sed factum probant: laudant ea multi ex veteribus Historicis, at non ingenuè, sed metu papalis potentiæ compulsi; Improbant verè & damnant facta hæc alii. † Num ipsorum Pontificum hâc in re testimonium venerabimur? Sunt profectò judices & testes in ipsâ causâ; ne hilum ergò prostat ex ipsorummet attestatis, quicquid etiam dixerint unquam, quicquid fecerint nonnunquam, id procul dubio nobis concedent, qui rectius sunt informati, † propter censuram ecclesiasticam, Reges ac Principes, Imperiis, Regnis ac ditionibus suis haut esse privandos; Qui ergò facere hoc potuerint Pontifices? Quocunque se verterint, illiciti sui attentati facilè convincentur. Apertius hoc fieret si de singulis ipsorum factis † in specie examen formare instituto haut prohiberemur, quo tamen labore jam alii nos sublevarunt, Goldast. *in Constit. Imp.* & Arnis. *de exemt. Cler.* Vela ideoque contrahimus, & quid tandem (5.) ex Vicariatu Pontificis obtineri possit, videbimus. Etsi verò passus hic in schola Theologorum satis fuerit ventilatus, & quàm falsò Pontifex se Vicarium Christi venditet, à Theologis orthodoxis sufficienter hactenus demonstratum; † Non possumus non tamen voto Vice Cancellarii D. Seldi ea firmare, cui religio nequaquam fuit, religioni catholicę hoc in articulo tàm pertinaciter adhęrere, quin veritati palmam tribueret, & impudentiam Catholicorum redargueret. Fecit autem id duplici modo: Et *primò* quidem nil prærogativæ circa Vicariatum hunc † præ aliis Episcopis Ecclesiæq; ministris Pontifici adsignandum judicat, postquam ecclesiastica potestas ipsi conjunctim, totique Ecclesiæ fuerit concessa, quo de verba ejus & probationem adduximus *supra Posit.* 2.*n.*103. *& seqq.* Vicariatus ergò si omnibus Ecclesiæ ministris competeret, quî Papa ex vicariatu potestatem in Reges ac Principes temporalem sibi soli spondebit? Socios verò si habeat, non verè de superioritate gloriabitur, quia superior nec parem agnoscit. † Rectius *porrò* restringit D. Seld vicariatum Papæ à Catholicis prætensum ad potestatem spiritualem, quam gessit ipsemet Christus, cujus regnum non fuit de hoc mundo *Ioh* 18.*v.*36. Firma & infallibilis est hæc illatio, quâ omnis subtrahitur vis & efficacia huic argumento, quo temporalē

Papæ

117. Papæ poteſtatem ſtabilire ſatagunt Romanenſes: † Vicarius ſiquidem licet mandatum habeat generale, non tamen facere poteſt ea, quibus nec ipſemet principalis immiſcere ſe voluit, quin potius & Vicarium abſtinere juſſit; Quorſum namque illud Chriſti: Reges gentium domi-
118. nantur, vos autem non ſic? *Matth.* 20. *v.* 25. *Luc.* 22. *v.* 25. † nec enim aliud mandatum de transferendis Imperiis & creandis Regibus exhibere unquam potuit, vel etiamnum poteſt Papa; Ineptus verò eſt Vicarius omnis ſine mandato, quod niſi oſtendat, ei non creditur, quantumvis
119. dignitate præcellat, *l.* 1. *C. de mandat. Princ.* † niſi forſan inſtructionem ſuam ampliare auſit Pontifex, quod ſi attentaverit, ipſemet ſibi ſententiam feret nullitatis, ſicut enim Mandatarii poteſtas ex literis mandati profluit, *l. diligenter* 5. *ff. mandat.* ita etiam Vicarii, Bald. *in l. aliquando ff. de offic. proconſ.* nec commiſſionem ad alia diverſa extendere licet, Nicol.
120. Reuſner. *in conſil.* 6. *n.* 16. Et † quî Pontifex: Vicarius eſſet Chriſti, cùm alibi ſaltem Petri Vicarium ſe profiteatur? *can. ego Ludovicus. diſt.* 63. *can. non quales* 1. *q.* 1. *can. quoties* 1. *q.* 7. nec enim Vicarius vicarium habebit, pontifice ipſomet teſte, *cap. clericos. extr. de off. vicar. ibiq;* Canoniſtæ. Imola *in Clem.* 1. *n.* 19. *&* 22. *de off. vicar.* Rebuff. *in pract. canon. verb. forma Vicariatus.*
121. *n.* 73. † Ita ſcilicet eluditur Vicariatus Pontificis, & cum eo ipſamet in Reges ac Principes ſuperioritas. Optamus ergò cum Ferrarienſi ICto: Surgat Imperator, & dicant omnes: Fiat pax in virtute tuâ & abundantia in turribus tuis, ac repetat utrumq; gladiū, temporalem & ſpiritualem, quem Imperium aliquando habuit. *in form. libell. quo agitur ex ſubſtit. in verb. ex ſuo corpore. n.* 3.

XXXII.

122. Supereſt Tertium, † quod æquè Pontifex ſatis temerariè Edicto ſuo nullitatis declaratorio intendit, idq; non minùs diſſimulare ſtudet, temperare tamen ſibi non potuit, quin impoſturam ſuam proderet, in hæc erumpens verba: Annatæ, jura Pallii, Confirmationes, Menſes papales, & hujuſmodi jura ac reſervationes in bonis eccleſiaſticis dictę Confeſſionis Auguſtanæ excluduntur. *circa pr.* Inſtr. pac. Hinc † ſcilicet lachrymæ, quibus decrementum ſuorum redituum deplorat; Hinc
123. querela ſuper Pacificatione noſtrâ, quæ animum Pontificis maximè pungit, quod inde culinam ſuam opimis illis proventibus, quos ex annatis,

Temeraria Pontificis intentio tertia.

annatis, redemtione pallii, confirmationibus, mensibus papalibus, & mille aliis conflandæ pecuniæ strophis, subtili ingenio corradere & ex Germania Romam asportare hactenus consuevit, magna ex parte defraudatam animadvertit. † Cui equidem avaritiæ ac malitiæ si indul- 124.
gendū foret, causam conquerendi sat probabilem fovere Pontificem, haut inficias ibit, qui quantum pecuniæ & divitiarum mille ejusmodi fraudibus & imposturis Vultur iste Tarpejus non modò ex Germania, sed etiam Italiâ, Hispania, Sicilia, Arragonia, Portugalia, aliisq; provinciis & regnis compilavit, perpenderit. † Existimant namque, leviter 125.
saltem qui in reditus hoscé inquisiverunt, annuatim eos, cùm adhuc in flore esset papatus, communiter ad decem millionum millia, h. e. ad centum tonnas auri pervenisse, Hutter. *in act. contr. Iacob. Gretser. de Reg. ac Princip. in sed. Rom. munif. c.1. p.12.* † Credibile omninò id est, si non 126.
ambigua relatio Marsilii Ficini, unicum Papam Iohannem XXII. in thesauris reliquisse ducentas quinquaginta auri tonnas in paratâ pecuniâ; Sed addit Autor ille: Hoccine est oves pascere, an verò deglubere & dilaniare prorsus? *in defens. pac.* † Ex solâ quoque Gallia circa annum 127.
Christi 1436. tempore Concilii Basiliensis, Martino V. Pontifice, novies centena millia coronatorum Romam perlata esse, idq; ex ore Lugdunensis Episcopi se audivisse meminit Legatus Archiepiscopi Magdeburgensis, Hutter. *dict. loc.* Non † abs re igitur Papam deminutio 128.
annatarum, quā non falsò ex Pacificatione Osnabruccensi suspicatur, angit. Et quidni, si insignem redituum ex hisce accessionē pensitemus? Nec enim quidquā aliud sunt annatæ, quàm anni unius integri reditus ab eo, qui recens in demortui Episcopi aut Abbatis locum successit, in cameram seu ærarium Pontificis exsolvendi, indeque sic denominatæ, Sleidan. *lib.4. histor. p.*88. † Quæ quidem ab initio contra Turcas aliosq; 129.
christianæ Reipublicæ hostes concessæ ac toleratæ, postea verò ad luxum & prodigalitatē impensæ ac dissipatæ fuerunt, unde in Comitijs Augustanis Anno 1500. legatio à Maximiliano I. Imp. ad Pontificem decreta, † ut annatas germanicæ nationis initio ad eum finem exigi 130.
permissas, ad subsidium belli id temporis contra Turcas suscipiendi erogaret, Paurmeist. *lib.2. de jurisd. c.3. n.*40. Non minus quoque interest Romani præsulis, jura Pallij † intacta & imminuta conservari, quippe 131.
ꝙ titulo hoc nimis quàm carè linum suum vendere, & confirmatione novi Archiepiscopi vel Episcopi ingentē pecuniæ summam acquirere

L hactenus

hactenus studuerit. Ex gravaminibus siquidem Germanorum
132. Maximiliano I. Cæsari exhibitis id compertum habemus, † pro confirmatione Episcopatus olim non nisi decem florenorum millia fuisse exsoluta, quæ cum electus quidam Episcopus præstare noluerit, successorem ejus condemnationem in duplum sustinuisse; eamque postea summam ab illo tempore ad triginta tandem aureorum millia
133. excrevisse, testis est Sleidan. *lib.* 13. *histor*, † ex quo durante unius saltem hominis vita centum & septuaginta quinque millia florenorum pro redemtione Pallij Romani asportata perhibentur, ut non absq; causâ inter gravamina germanicæ Nationis adversus sedem pontificiam pretiosa hujus pallij redemtio fuerit relata, apud Goldast. *in volum.*
134. *Constit. german. fol.* 215. † Nec frustra hinc Iacobus Archiepiscopus Magdeburgensis, cum extremam vitæ horam instare persentisceret, non adeò de morte suâ, quàm ob id doluisse fertur, quod subditi sui pauperes iterum pro pallio redimendo gravem dare exactionem cogerentur, Syring. *de pace relig. concl.* 16. à qua insolentia licet veteres abstinuerint Pontifices, indecorum existimantes, quidquam pro pallio
135. accipere, idq; severè prohibentes, *can. novit. dist.* 100. † Successoribus tamen id parùm curę fuit, qui, ut reditus hi fœcundiores forent, sancire haut dubitarunt, ne pallium personam egrederetur, nec in aliam transferri posset, sed cum eo quisq; sepeliretur, *cap.* 2. *extr. de recept. &*
136. *autor. pall.* Iuribus porrò hiscé pallij subnectit Pontifex † confirmationes, Menses papales, aliaque ejusdem farinæ jura ac reservationes in bonis ecclesiasticis, unde quæstum & lucrum sibi parile spondet, ejusque decrementum ægro fert animo, ut non abs re tædiosum ipsi fuerit visum, singula quæq; speciatim referre; quare in clausula generali
137. subsistit, † plurimas tamen sub ea comprehendens technas, quibus pecuniarum ille piscator ærario suo multùm prospicere valet; eas qui scire expetit, cogitet saltem, unde hactenus institor Romanus thesauros
138. mundi Romam transtulerit, † quantum scilicet pro electionis confirmatione, pro postulationũ admissione, pro præsentationũ provisione, pro collatione, postulatione, installatione, investiturâ, pro devolutionibus præsulatuum & dignitatum, pro beneficiorum præventionibus, commendationibus & pensionibus, pro beneficijs vacantibus in Curia Romana, prò commendis, pro facultatibus Episcoporum, pro facultate visitandi, pro coadjutoribus, pro fructibus percipiendis in absentiâ, pro

unionibus

unionibus & applicationibus, pro expeditionibus in formâ ratione congrui, pro literis majoris justitiæ, pro officijs Clericorum, † pro 139.
dispensationibus ad duo vel tria vel quatuor beneficia incompatibilia, pro Capellanorum promotionibus, pro prærogativis, annullationibus & irregularitatibus, pro infractione votorum religionis & peregrinationis, pro defectu ætatis & natalium ad beneficia, pro indultis Clericorum secularium, pro confirmationibus & concessionibus, alienationum bonorum ecclesiasticorum, pro revocationibus & reductionibus, pro literis justitiæ minoris, pro exemtionibus, pro fundationibus, pro tolerantijs concubinarum & meretricum, alijsque sexcentis ejusmodi imposturis exegerit, prout videre est in libello, quo Evangelici Principes causas exponunt non frequentati Concilij Tridentini. † De quibus sanè minus dubitaverit, qui obiter tantum- 140.
modò mille pensitat fraudes, quibus omnem simplicioribus nimiumq; credulis, pecuniarum medullam exugere Papa consueverit, non postremum sanè inter hasce obtinet locum Dispensatio: matrimoniorum † siquidem tàm innumera excogitavit obstacula ex affinitatis, 141.
publicæq; honestatis cognatione spirituali, legali, & consanguinitatis tàm multis gradibus originem trahentia, in quibus relaxandis pauperis ac divitis semper diversa extitit conditio. Nuptiarũ solennia celebrari à Dominicâ Septuagesimæ prohibuit, sed ita demũ, si gratis facere quis intenderit; at si pro dispensatione nummi spes refulserit, impunè ac liberè nuptiarum festivitatem celebrare liceret, ut verè scripserit Autor papatus Romani: † Nummus divitibus licitum facit, quod pauperibus 142.
prohibitum remanebat; illicitisque his legum & constitutionum humanarum retibus non modò magna nummorum copia est collecta, sed & maxima inter æquè Christianos orta iniquitas, plena offendicula & simultates, dum pauperes hisce laqueis se illaqueatos remanere viderint nõ ob aliud, nisi quod spinas Evangelicas (ita enim CHRISTUS divitias non semel nuncupat) non possideant, quod si nummi spes refulserit, jam quod primò erat prohibitum, impunè ac liberè facere licitum erat. *in cap. 10. de papatus deminutione & extinctione ipsius.* Ne † quid- 143.
quam dicamus de Indulgentiarum papalium nundinatione, pro impetrando esu carnium, pro absolutione à peccatis magnis & parvis, præteritis & futuris, unde inæstimabilis argenti summa fuit corrosa: quam non parùm auxit exercitium avaritiæ in venditandis & osten-

tandis reliquijs Sanctorũ, fæno, sup. quo Bethlehemi jacuerit puerulus IESUS; crepidis D. Andreæ, caligis Iosephi, licèt falsa q́ uæq; substituerit, & pro Sanctorum ossibus monstrari fecerit ossa nuper ex ædiculis sive ossuarijs cæmiteriorum desumta, pro capill s Mariæ virginis crines forsan alicujus meretricis, non alium in finem, quàm ut pecunia
144. emungeretur. † Et quorsum Taxa illa pœnitentiaria Curiæ Romanæ, ab ordinibus Evangelicis jampridem edita, & dicto libro, quo causas exponunt recusati consilij Tridentini subjuncta, quæ inexplebilem avaritiæ & vastissimam Simoniæ voraginem repræsentat: Eoque impietatis progressa est, ut ex sceleríb. hominũ atrocissimis, parricidijs, uxoricidijs, infanticidijs, presbytericidijs, laicidijs, veneficijs, sacrilegijs, furtis, incendijs, rapinis, perjurijs, sodomijs, alijsq; nefandis
145. flagitijs lucrum quæstumque faceret. † Hæc scilicet fuit mercatura & nundinatio Curiæ Romanæ, ut non possit non dolere Pontifex, si technis & imposturis per doctrinam Evangelij detectis, tantum ærarij sui decrementum videat, ulterioremque fisci deminutionem ex Pace Osnabruccensi & Monasteriensi metuat.

XXXIII.

146. Lubentes ideoque fatemur, † jura annatarum, pallij, mensium papalium, aliasq; reservationes in bonis ecclesiasticis curam & anxietatem Pontifici attraxisse, & querelam hanc lamentabilem extorsisse. At num propterea jure conqueritur Pontifex? Stupidi erit ingenij homo, qui non Piscatoris nostri temerariã animadvertat intentionem,
147. cui non quid Ecclesiæ Christi, & tranquillitati animarum salubre, † sed quid marsupio suo proficuum, curæ est: num enim reditus ex bonis ecclesiasticis Pontifici idcircò obveniunt, ut ventri prospiciat, eosque luxu & prodigalitate consumat? Non certè sic judicâvere Ordines Imperij in Comitijs Augustanis à Maximiliano I. Imp. Anno 1500. indictis, quibus persuasum fuit, aucupijs Romani institoris propterea
148. indulgendum esse, † ut acquisita thesauri loco contra hostes Ecclesiæ pro conservandâ ejus pace & tranquillitate, haberentur. Pia sanè tolerantia, quæ effectum suum maximoperè in pacis reparatione exerit. Vix enim utiliores quisquam dixerit expensas, quàm quæ pro recuperandâ pace & redemtione Christianorum à periculo hostili

erogantur,

erogantur, licet ipſemet redituum fons aliquâ parte exhauriatur, † 149.
quod per tranſmutationem bonorum eccleſiaſticorum in Principatus, eorumvé translationem in Status Auguſtanæ Confeſſionis non fruſtra metuit Pontifex. Quin & ſi alium in uſum reditus iſtos conſervare velit Papa, neutiquam ei videtur annuendum, & conſultius erit, tenacitati inhærere, quàm liberalitatem erga Eccleſiam exercere, ſive hoc fiat per teſtamentariam diſpoſitionem, ſive alio quovis modo ac
titulo, ne aliquando audire cogatur illud † Bartoli de Salignaco, quod 150.
ſicut Eccleſia orientalis ob nimiam paupertatem lapſa ſeu paſſa fuerit multa incommoda; ita occidentalis Eccleſia ob nimias pompas & divitias deſolabitur, apud Nicol. Boër *deciſ.69.n.3.* Et hinc non infirmo
nititur fundamento ſtatutum † Reipublicæ Venetæ, de bonis Laicorum 151.
immobilibus in Eccleſiam haut alienandis, quod licèt ægrè tulerit Pontifex ejuſq; aſſeclæ, litem propterea moventes, cauſam tamen ſuam Veneti ita geſſerunt, ut pars adverſa parum effecerit, prout eluceſcit ex ſcriptis eorum, apud Goldaſt. *tom.3. de monarch.* quibus addi poteſt tractatus, cui eſt titulus. *Pieces du memorable proces, eſmeu entre le Pape Paul. V.*
& les Seigneurs de Veniſe. † Nec nova eſt hæc prohibitio, cùm jamdudum 152.
fuerit interdictum, Eccleſiæ & Clericis teſtamento aut fideicommiſſo aliquid relinqui, *l. 27. C. Theodoſ. de Epiſc. & Cler.* ſcilicet ne opibus corrupti, eas in utilitatem Eccleſiæ haut impendentes, minùs pij eſſent ac integri, exemplo Æſopicæ gallinæ, quæ ſtrigoſa & malè habita ſingulis diebus ſingula ponebat ova, ſaginata pòſt parere deſijt, Beſold.
in diſſert. de majeſt c.2.§.3. † Quam ob cauſam etiam ante Carolum M. 153.
divitiæ Eccleſiarum, Principibus Francis fuerunt odioſæ, unde profluxit querela Hilderici Regis: Ecce pauper remanſit fiſcus noſter: ecce divitiæ noſtræ ad Eccleſias ſunt translatæ: nulli penitus niſi ſoli Epiſcopi regnant: perijt honor noſter, & translatus eſt ad Epiſcopos civitatum, apud Gregor. Turonenſ. *lib.6. hiſtor. francor. c. ult.* & Lehman
lib 2. c. 35. † Ac tandem in Gallia res eo devenit, ut facultatibus ferè 154.
infinitis Eccleſiæ ordinique eccleſiaſtico ſine ullâ emancipationis ſpe adſignatis, lege publicâ fuerit cautum, ne prædia deinceps eccleſiaſticis donentur Collegijs, aut ſi [illegible] dono data ſint, ut rurſus ea vendantur, Ioh.
Bodin. *lib.5 de Republ. c.2.* † Quale etiã decretum in Anglia ſub regimine 155.
Eduardi I. Regis [illegible] gitur publicatum, ne cuiquam mortalium liceret prædia dare Collegijs monachorũ, poſtea ab Henrico V. confirmatum.

156. Polydor. Vergil. *lib. 17. histor. Angl.* Nunquam tamen effici potuit, † ut
Pontifices ad pristinum redirent paupertatis statum, vel saltem ne
abusu & luxu bona Ecclesiæ consumerent, ut maximè sępius admoniti
fuerint exemplis Apostolorum, non modò integritate vitæ, sed etiam
paupertatis patientiâ ornatorum, nec non ipsius Salvatoris, ejusq; vocis
notabilissima: Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; filius
157. autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet, *Matth. 8. vers. 20.* †
Sed quid ad hoc Papa? Responsum si quis scire aveat, legat is edictum
Iohannis XXIII quo declaravit, pertinaces & hęreticos esse habendos
omnes, qui affirmarent, CHRISTUM ejusq; discipulos nihil privati vel
proprij habuisse, neq; discipulis vendendi, donãdi, testandi, acquirẽdi,
suopte ingenio jus nõ competere, Platin. *in eod. emp. 255.* in quo equidem
159. non penitus errâsse, † sed jus hoc nimium extendisse videtur, quo vanas
piscaturæ suæ technas & modos divitias mundi ingentes corradendi
palliaret; quem effectum vox illa Cardinalis cujusdam satis prodit:
Sive sit captum, sive sit raptum, modò sit aptum. Vtque exempla
Apostolorum eludat, restringit illa Pontifex ad Ecclesiam primitivam,
ubi Clerici solebant angelos intueri, miraculis coruscare, ægros curare,
mortuos suscitare, & sanctitate, non armis, sibi Principes subjugare;
160. † quod ipsum Thomas Aquinas indigitavit Innocentio III. ingentem
auri summam numeranti, ac dicenti: Videsnê Thoma, Ecclesiam non
amplius sicut olim, cum inciperet, dicere posse: Aurum & argentum
non habeo, respondens: Fatendum hoc est, † Pater sancte; sed Ecclesia
modò non potest sicut primitiva ad claudum dicere: Surge, ambula,
sanus esto. Petr. de Vineis *lib. 1. epist. 2. in fin.* Lather. *de censu lib.* 3. *c* 17. *n.*
161. 206. Ita scilicet Pontifex ab exemplis & vita Apostolorum recedit, †
& facultates Ecclesiæ haut invidendos ad abusum trahit, ut flagitijs suis
indulgeat, quoipso palmam veritatis tribuit sententiæ Ferrariensis, de
clericorum opulentia ita disserentis: Clericis olim multiplicata fuerunt
162. privilegia ‡ & bona, fundata Monasteria infinita per universum orbem
causâ devotionis: licèt hodie causâ rapinæ & avaritiæ, in tantum, quod
destruxerunt mundum, & annihilaverunt statum Imperij omniumque
Laicorum. Possunt ergò dici meritò loca illa facta vel fienda, retia
contexta ad capiendum bona Laicorum. *in form. libelli, quo agit ex*
163. *substitutione. in verb. Ex tuo corpore, &c.* † Annon ergò intentio Pontificis
& hæc est temeraria? Receptui nos canimus, & Græcorũ usi Laconismo
autori

autori hujus edicti annullatorij cum universâ Ecclesiâ catholicâ acclamamus : Potentiam tuam summam circa tuos subditos firmiter credimus: superbiam tuam summam tolerare non possumus: avaritiam tuam inexplebilem satiare non valemus : Diabolus tecum, quoniam Dominus nobiscum, Vlric. ab Hutten *in annot. quom. unoquoq; tempore Pontifices Romani erga German. Impp. sese gesserint. in fin.*

ARTICVLVS IV.

Triplicis fundamenti contra Papæ attentatum demonstrat firmitatem.

XXXIV.

VIdimus hucusq; argumenta Pontificis, † quibus Edictum Pacificationis annullatorium sustineri persuasum sibi habet, eaq; partim strenuè dissimulat, atque ceu Vlysses alter auribus cerâ obturatis, Sirenum insulas prætemavigat, partim verò satis astutè simulat, ut quod pomposè intendit, feliciter obtineat, omnemque Pacificationi Osnabrugensi ac Monasteriensi subtrahat vim & effectum; † quâ in Rhodo tam athleticè saltat, ut jam sibi victoriæ palmam polliceatur; sed sine Senatûs populique Romani suffragio. Nec enim ita cæci sumus, vel adeò superstitione dementati, ut mera oracula à Papa eructari credamus, cui nefas esset contra veritatem loquenti quidquam obloqui. Et sanè, † quàm falsò, quàm vanè, quàm frustrà hæc protulerit, ubertim nos demonstrasse opinamur. Liberalitatem verò quantumvis erga Innocentium Pontificem exercere, & roboris aliquid dogmatibus suis largiri vellemus, per id tamen subsistentiam Edicti annullatorij & declarationis attentatæ haut evicisse videbitur, † priusquam jus ac potestatem corrigendi, immutandi & abrogandi Imperatoris ac Principum Imperij leges & sancita docuerit. Vt enim verè Gratianus Pontifex scripsit, in negotijs tractandis ac definiendis non solùm est necessaria scientia,

† sed

5. † sed etiam potestas, *dist.* 20. *in pr.* & commensuratur dispositio quævis potestati disponentis, cujus persona ante omnia est legitimanda, Alexand. *lib.* 2. *consil* 210. *n.* 1. ut sic quovis in actu causa
6. & potestas copulativè & conjunctim concurrere debeat, † quia sine potestate nihil in actum deducitur, sine causâ verò & voluntate nihil consensu perficitur, Anton. Quetta *consil.* 74. *n.* 1. At unde Pontifici hęc
7. † potestas? Probet eam, si ab impudenti jactantiâ se purgare & attentatum suũ defensare velit, ipsimet enim hoc incumbit ex regula ICtorũ vulgatissimâ, quę affirmanti defert onus probandi, *l. actor.* 23. *C. de probat.* Nec enim ex alia ICtorum regulâ admitti potest ad juris tàm eminentis exercitium, priusquam suam legitimaverit personam. Quod cùm non
8. modò † difficile, sed impossibile penitus erit, frustra nos probationem expectaturos veremur; ideoq; ne morâ intolerabili implicemur, privilegio negantiũ renunciantes probationem negativæ in nos suscipimus, demonstraturi, ne tantillum potestatis, placita, transactiones & sancita Imperatoris, (cujus autoritate, consentientibus reliquis Pacificatorib⁹ Pax nostra prodiit,) abrogandi, corrigendi & annullandi, Innocentio
9. Pontifici competere, † cùm nec Antecessores ejus, unde jus hoc præsumtum in eum sit derivatum, potestatem illam sibi arrogare potuerint: faciemus autẽ id triplicis fundamenti firmitate, ut in numero ternario, quo noster haut parum delectari consuevit, subsistamus, at syllogisticè, ut evitetur confusio & via modis elabendi præcidatur. Sitque primum
10. *Fundamentum contra attentatum Pontificis primum.* fundamentum hoc: † "*Inferior non potest derogare placitis, transactionibus & legibus superiorum, multò minus ea penitus annullare & abrogare. At Papa inferior est Imperatore. Ergò.*" Majorem proculdubio firmitate sua constare, Pontifex non diffitebitur, convictus ipsâ pariter ratione naturali, & Gregorii Papæ, hujus nominis IX. effato, † qui inferiori noluit largiri, ut quidquam potestatis in superiorem exerceret, *in cap. cum inferiore.* 16. *extr. de major. & obed.* Estque juris vulgatissimi: pari in parem, nedum inferiori in superiorem nullũ competere imperium, *l. ille à quo.* 13. §. *tempestivum.* 4. *ff. ad SCt. Trebell.* quod tamen abrogatio & quassatio sive annullatio placitorum & legum semper
11.12. implicat. † Nisi forsan libramento distinctionis inter potestatem temporalem & ecclesiasticam Pontifex ambiguum hoc reddere, & per consequentiam aliquam, majorem etiam propositionẽ temperamento limitate

limitare ausit, in quo præeuntem habebit communem dogmatum pontificiorũ defensorem Bellarminum,† qui potestatem ecclesiasticam 13. longè majorem ac sublimiorẽ politicâ potestate contendit; cui equidẽ contradicit ICtus quidam Anonym. *in dissert. oppositâ dissertationi Cardin. Bellarmini de translat. Imp. Rom. à græcis ad Francos. &c. c.9.* hisce verbis: *Quare ecclesiastica potestas sublimior sit politicâ, nullam idoneam causam attulit Bellarminus; † qui utriusque potestatis dominus est, contrarium dixit, etiamsi sciret* 14. *fore, ut aliquando Bellarminus & similis fecis homines ex quibusdam sophisticis causis contradicturi, & variis technis id elusuri essent. Contrarium etiam à multis demonstratum est, nam Apostolorum Commissio seu potestas privata fuit, & continebatur uno verbo satis plano, perspicuo & vulgari, (Docete) quod etiam aliter ipsi non intellexerunt, atq; executi sunt, quodq; solo facto continetur. † Alia potestas, quæ politica* 15. *est, in jure consistit; Imperium enim & jurisdictio quæque ab his dependent, juris nomina sunt;* Hucusque Autor ille *dict. c.9.* apud Goldast. *in polit. Imper. part.9.* † Sed fefellisse Bellarminum nolumus simpliciter largiri; 16. quomodo non enim potestatem ecclesiasticam in sese consideratam diceremus politicâ sublimiorem, quia instar animæ in corpore, eoq; dignioris ac præcellentioris, est spiritualis & cœlestis. Verè hinc Gregorius Nazianzenus: Dedit lex Christi & nobis potestatem, dedit & principatum multò perfectiorem principatibus vestris. Aut numquid justũ vobis videtur, si cedat spiritus carni? si terrenis cœlestia superentur? si divinis præferantur humana? *in c. suscipitis 6. dist.* 10. † Quare & Vice-Cancellarius Imperij D. Georgius Sigismundus 17. Seld, fastum & jactantiam Pontificum inanem aliàs, sincerè apertoque animo detegens & expugnans, superioritatem hanc ministerio ecclesiastico detractam noluit, † sed Ferdinandum Imp. ut tanquam 18. filius Ecclesiæ obedientissimus, secundum canones antiquos & Constitutiones Imperiales, ei se subjugaret, monendum duxit *in consilio sæpius alleg. ad Ferdinandum I. scripto contra Pii II. Papæ attentatum de electione Regis Romanorum, sine eius consensu susceptâ, iniquissimum, pag.* 11. *&* 12. † 19. veluti quoq; Imp. Iustinianus cuncta Romanæ sedi subjicit, & ad ejus unitatem deducit. *in epist. inter claras. C. de summ. Trinit. & fide cathol.* Atquid inde ad nostras propositiones,† quibus temporalem duntaxat & 20. politicam Papæ potestatem, ex qua pacorum & transactionum Imperialium correctio & abrogatio profluit, destructam imus: Cæteroquin reliquos quoque Episcopos Ecclesiæ ministros supra thronum

Cæsareæ Majestatis evectum iri, concedent nobis ipsimet Pontifices, superioritatem illam spiritualem ad omnes Sacerdotes & Episcopos
21. extendentes, † qui tamen sibi solis jubendi & imperandi potestatem contendunt adsignatam. Ita enim Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem: Nosti itaque inter hæc, ex illorum (putà Sacerdotum, de quibus loquebatur) te pendere judicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem. Et postea Ambrosium ita sermocinantem inducit:
22. † Honor, fratres, & sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cùm videas Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotum, & osculatâ eorum dextera, orationibus eorum
23. credant se communiri, *in c. duo sunt. dist. 96.* † Et Pontifex Gregorius VII. Quis dubitet, Sacerdotes CHRISTI Regum & Principum, omniumq; fidelium patres & magistros censeri? Nonnè miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subjicere, à quo credit non solùm in terrâ, sed etiam in cœlis se ligari
24. posse & solvi, *in can. 9. ead. dist.* † Item Felix Papa: Certum est, hoc rebus vestris esse salutare, ut cum de causis DEI agitur, juxta ipsius constitutionem, Regiam voluntatem Sacerdotib. CHRISTI studeatis subdere, non præferre, & sacrosancta per eorum Præsules potius discere quàm docere, &c. in *c. certum 3. dist.* 10. Nimirum ex canonibus antiquis non
25. ulla † in temporalibus, sed saltem in causis & negotijs spiritualibus animamque concernentibus superioritas probari potest, ex qua nil minùs quàm nostrum fundamentum labefactabitur, quippe quo subsistentiam tantummodò, perpetuamque Pacificationis temporalis
26. firmitatem & sublimitatem temporalem intendimus † Quin nec articulos, bona & jura ecclesiastica concernentes ab eâ exceptos seriò affirmabit, cui distinctio inter potestatem ecclesiasticam internam & externam innotuerit, illâ duntaxat Pontifici vel ministerio potius ecclesiastico relictâ; hâc verò posteriori Cæsareæ Majestati ac Magistratui politico reservatâ, quo de suprà *Posit.* 13.

XXXV.

De solâ igitur superioritate in regimine temporali nobis heîc est negotium, & † firmo stante talô propositione argumenti nostri majore, 27.
probationi assumtionis nos dabimus demonstratum, Papã Imperatori subjectum esse, ejusq; imperium agnoscere, quod equidem ad gustum Pontificiorum & Officialium Curiæ Romanensis dictum haud est, qui dogma hoc adeò detestantur, ut † omnes indifferenter Clericos à 28.
seculari eximant potestate, vel ex solo Bonifacij VIII. Papæ attestato, *in c. quamquam. extr. de censib.* quod imprimis firmare adnituntur Bellarm. *in lib. de Cleric. cap.* 28. & Soarius *in defens. fid. cathol. advers. Anglic. sect. errores. lib.* 4. verè tamen dictum id est, si, quid Theologi orthodoxi de jurisdictione & potestate seculari in clericos ac personas ecclesiasticas, Pontifice ab ipsis nequaquam exceptô, scripserint, † & ex textibus sacri 29.
Codicis *Matth.* 22. *vers.* 21. *Marc.* 12. *v.* 13. *Tit.* 3. *v.* 1. 1. *Petr.* 2. *v.* 13. *Rom.* 13. *v.* 1. *Matth.* 17. *v.* 27. *Actor.* 25. *v.* 10. firmaverint, exactius pensitemus, quorum voto etiam Politici Lutherani subscribunt, eiq; probationem subnectũt ulteriorem † ex Rescriptis Impp. fidelium Ecclesiæ catholicæ, sedisque 30.
Romanæ defensorum, *in l. decernimus* 26. *C. de Episc. & Cler. l. si quis ex consensu* 7. *& tot. tit. C. de episc. audient. l. omnes* 10. *C. de lb. Nov.* 3. *in pr. Nov.* 86. *Nov.* 123. *c.* 8. † quam in sententiam integrum texuit tractatum Henn. 31.
Arnis. *de subject. & exempt. Cleric.* nec displicet ea sanioribus pontificijs, ut videre est apud Didac. Covarr. ICtum hispan. & Episcopum Sogobiensem, *pract. quæst. c.* 31. *n.* 2. *vers. contraria opinio.* Innocent. *in cap.* 2. *extr. de major. & obed.* Ioseph. de Sehe *in tract. de inhibit. c.* 8. *n.* 11. *& seqq.* Carol. Molin. *in addit. ad consil. Alexandr.* 8. *lib.* 1. Vnde † ipsismet fatentibus 32.
evincitur superioritas Magistratus politici in Ecclesiæ ministros: à quib. qui præ alijs primatum jactat, Papa nullibi legitur exceptus. At ne existimet Innocentius noster, suspectis tantummodò autoritatibus nos inniti, ac telis Orthodoxorũ contra ipsum pugnare, (1.) fulcrum † ex 33.
ipsomet jure divino fortius petere lubentia est. Nonne enim novit Pontifex, Iehovã Moysen, qui Imperator & magistratus fuit politicus, Aaroni sacerdoti in Deum constituisse, *Exod.* 4. *vers.* 16. & hunc vicissim Moysen pro Domino agnovisse & coluisse, *Exod.* 22. *vers.* 23. *Num.* 12. *vers.* 11. eoque defuncto Iosuam à Deo Israëlitis præpositum, potestatem in

populum & Sacerdotes accepisse, *Iof.1.verf.*10.*& feqq.* Davidem Sadoco Pontifici & Nathani Vati imperasse, 1. *Reg.* 1. *verf.* 32. Salomonem
34. Abjatharum destituisse, Sadoco ei substituto, 1. *Reg.*2.*&* 7. † quibus, alijsq; juris divini oraculis sine ullâ statuit hæsitatione Marsil. Patavin. Pontificem Imperatori juris divini autoritate subesse, *in defenf.pac.p.2.c.*
35. 7.*pag.*174.*& feq.*† licêt propterea ab Ecclesia Romana fuerit damnatus, si fides habenda Ioh. Azorio *inft.moral.lib.* 5.*c.*12.*p.*1. haut ad exemplum
36. Salvatoris, † cujus Vicarium Papa se nuncupat, qui sponte sua confessus Pilatum præsidem provinciæ in ipsum à Deo potestatem accepisse, *Ioh.* 19. cum nec antea Cæsari denegaverit subjectionem, *Matth.* 17. Quî
37. non ergò præsumptus † quoq; ejus Vicarius Imperatori se submitteret? *c.Imperatores. & c. quid ergò.*11.*q.*3. nec enim esse debet discipulus major Magistro, aut servus Domino, *Matth.*10. (2.) Piè hinc Leo IV. Papa ad
38. Imp. Ludovicum: † Nos si incompetenter aliquid egimus, & subditis justæ legis tramitem non conservavimus, vestro ac missorũ vestrorum cuncta volumus emendare judicio. Et rursus: Inde magnitudinis vestræ magnoperè clementiam exploramus, ut tales ad hæc, quæ diximus, perquirenda missos in his partibus dirigatis, qui DEUM per omnia timeant, & cuncta (quemadmodum si vestra præsens fuisset
39. Imperialis gloria) diligenter exquirant; Ac demum: † Sive minora, sive etiam majora illis sint de nobis indicata negotia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in posterum nihil sit, quod ab eis indiscussum vel diffinitum remaneat. *in c.* 41.*cauf.* 2.*q.*7. Quem & olim alij Pontifices secuti sunt, & jugo ac superioritati Imperatoris se
40. submiserunt, fidelemq; ei præstiterunt obedientiam. † Cujus rei si quis synopticam expeteret relationem, huic verbis autoris Papatus Romani possemus gratificari; Scribit autem ille: Si secundùm statum à temporibus Iustiniani I. Imp. nimirum ab anno Christi 526. per ducentos quadraginta sex subsequentes, usque ad tempora Caroli M. spectabimus, Episcopos Romanos semper Imperatori subditos fuisse
41. comperiemus ex Platina, & cæteris illorum facta ac vitas scribentibus, † atque singulos Romanos Pontifices electos à Cæsare semper confirmationem habuisse, ipsiusque jurisdictionem & imperium agnovisse legitur: jussu Theodoræ Imperatricis Vigilius sexagesimus Episcopus Romanus ligatus Constantinopolin transvectus est, carceribusque
42. mancipatus; † Et Martinus septuagesimus quintus Pontifex jussu Theodori

Theodori Calliopæ ligatus pariter , eodem transvehitur , atque in carceribus positus, ut Platina & cæteri *in vitis utriusq;* attestantur. Vsq; huc Autor *Papatus Romani c.4.p.61.* Quod si ergò Pontifices superioritatem Imperatoris olim agnoverint, quid causæ, ut subjectioni nunc se subtraherent. † Quam(3)nō parùm stabilire potest jus confirmandi 43.
Pontificem, quod ab Imperatoribus quondam exercitum temporum illorum historiæ nos informant ; Ita enim de hoc Aventinus , *in annalibus:* Fredericus Imp. mense Majo atque quinquagenalibus apud Virtemburgam conventum Episcoporum Senatusque Imperii cogit. Coëunt frequentes Archimystæ , minores Pontifices , Præsides, Duces, Præfecti, Vidonem Pontificem maximum legunt, Paschalemq; vocant. † Fit Senatusconsultum , nullum posthac Pontificem 44.
maximum fore , nisi qui more majorum , consensu Imperatoris crearetur. &c. Et Radevicus *de gestis Frederici I. Imp. lib. 2. c. 70. & seq.* describens acta Concilij Papiensis, dicit: † Confirmatio Pontificis ab 45.
Imperatore petita: Parili modo Leonem IIX. Papam ab Imp. Otthone fuisse approbatum & confirmatum, autor est Platina *in vita Leonis*, qui & postea morem hunc confirmationis in perpetuum voluit duraturū. *c. in Synodo. dist. 63.* postquam juri huic à Ludovico Imp. renunciatum diceretur *in can. ego Ludovicus. ead. dist.* Estque † facultate hac inter alios 46.
Henricus III. ita usus , ut succeessivè quatuor Pontifices , videlicet Clementem II Damasum II. & Leonē IX. omnes Germanos creaverit, Seld. *in prædict. consil. ad Imp. Ferdin. I.* Quæ exempla ex aliis historicis Hutterus hiscè commemorat verbis : † Cum de Pontificatu tres 47.
Romæ contenderent , & malis artibus omnia tentarent, Benedictus nēpe IX. Sylvester III. & Gregorius VI. mox Imperator Henricus III. Romam profectus, & per obedientiam urbe captâ, conventum egit, ac Bambergensem Episcopum Suitgerū constituit Papā, qui dictus postea Clemens II. quo tempore cives Romani denuò jurarunt , in creando Papa nihil nisi de Cæsaris arbitrio sese facturos. † Pacatâ rursus Italiâ, cū 48.
in Germaniam redijsset Cæsar, mortuus est Clemens II. Pontifex: Quo cognito, Cæsar statim Bopponem, Frisingensem Episc. constituit Papā, qui est Damasus II. Cumq; & hic non amplius 23. dies præfuisset, Cæsar elegit & confirmavit Papā Tullensem Episcopū Leonem IX. Hutter. *in act. cōtra Iacob. Gretser. supr. alleg. c. 4.* † Quodq; antiquis temporib. usitatum 49.
fuerit pręsentari decretū electionis pontificis Imperatori, ad finē consequēdi ejus assensū, probat haut obscurè textus *in can. Agatho. 21. dist. 63. &*

 clarius

50. clarius annotatio *ad can. cum longè* 25. hiscè verbis: † Electiones quoque summorum Pontificum atque aliorum infra præsulum, quondam Imperatoribus repræsentabantur. Et in *can. vota civium.* ibi: Principibus verò atque Imperatoribus electiones Romanorum Pontificum atque aliorum Episcoporum referendas, usus & constitutio tradidit. *dict. dist.* 63. (4.) Nec tantummodò jus confirmandi, sed etiam deponendi
51. Pontifices, † Imperatoribus competiisse ex historicorũ monumentis notissimum est. Tempore siquidem Henrici Imp. Benedictum Papam, qui Stephano successit, à Pontificatu ejectum & factum Papam Iohannem Sabiensem Episcopum, aliàs Sylvestrum: huncque rursus ejectum, & Benedictum restitutum; atq; iterum eundem Benedictum ejectum, inque locum ejus surrogatum Iohannem Archipresbyterum, Gregorium nominatum; huncque etiam ab Henrico Imp. depositum, & ultra montes translatum fuisse, percipere licet ex Gloss. *in c. in nomine*
52. *Domini.* 1. *dist.* 23. † Cumque Iohannes XII. Papa esset venator & totus lubricus, adeò quod meretrices publicè retineret, Iohanni Diacono Cardinali nasum abscindi, & alteri Iohanni Subdiacono manum amputari fecisset, monitus ab Imperatore & Electoribus Imperii, ut se corrigeret, non correctus, à Papatu ejectus est, Anton. de Rosellis *de*
53. *potest. Imp. & Pap. p.* 1. *c.* 61. † Idemque jus deponendi Pontifices, alios complurimos Imperatores optimosq; Principes exercuisse, in annales & fastos relatum est ab Aventino. *lib.* 7. *annal. Bojor.* Quis non hinc crediderit superioritatem Imperatoris, cui Pontifices sint subjecti? Aut
54. si scrupulum de hoc etiamnum habeat, audiat (5.) † clarissimam ipsorũ Pontificum confessionem; Ita namque Gregorius Magnus Pontifex Romanus ad Mauritium Imp. Ego, inquit, indignus pietatis vestræ famulus. Et rursus: Ego hæc Dominis meis loquens, quis sum nisi
55. pulvis & vermis? † Ac postea: Ego jussioni subjectus eandem per diversas terrarum partes transmitto; ubique ergò, quæ debui, exsolvi, qui & Imperatori obediẽtiam præstiti, & pro Deo, quod sensi, minimè
56. tacui. Ad quas voces allusisse videtur † Wenceslaus Imp. in Edicto suo: Nostrum jus patronatus, inquit, ne vitium ingratitudinis incurrerent, plures antiquitus sum̃i Pontifices optimè recognoverunt, Augustos Dominos appellantes, eisque in re & nomine reverentiam
57. tanquam suis Patronis exhibentes. † Non minùs ingenuè Leo IV. ad Lotharium Imperatorem: De capitulis vel præceptis Imperialibus

vestris,

vestris, ait, vestrorumque Pontificum prædecessorum custodiendis & conservandis quantum valuimus & valemus, CHRISTO propitio, & nunc & in ævum nos conservaturos modis omnibus profitemur: Et si fortasse quilibet vobis aliter dixerit vel dicturus sit, sciatis eum pro certo mendacem. † Idem ferè est, quod scripsit Gregorius Nazianzenus: 58. Simus subjecti & DEO, & invicem alter alteri, & terrenis Principibus. Nec non Pelagius Papa *in epist. ad Childebertum Francorum Regem*; Regibus nos subditos esse sacræ præcipiunt Scripturæ, Melch. Goldast. *in præfat. Monarch. S. Rom. Imperij. (6.)*† Addimus porrò aliud subjectionis docu- 59. mentum, ex jure Legationis petitum; Pontificem namque Romanum Leonem à Valentiniano Imp. missum, legationem ad Attilam pro salute Imperij suscepisse, refert Platin. *in Leon. V.* perinde ut à Theodoro, Gothorum Rege Agapethus Pontifex ad Iustinianum Imp. Legati officio functus legitur, ex Bonfinio Kirchn. *de legati lib. 1. c. 4. n. 152.*† Quis 60. non autem subjectionem inde colligeret? postquam Legati sunt mandatarij, quos nemo sanæ mentis supra mandantem collocare unquam præsumet, Kirchn. *dict. lib. 1. c. 7. n. 6. & seq.*

XXXVI.

Hiscé cum jugulum superioritatis ac potestatis Papalis † peti 61. animadvertant Officiales Curiæ Romanæ, nullum non lapidē movent, omnemq; impendunt laborem, quo autoritatem Pontificis jamdudum labefactatam hodie rursus erigant, ne stationem suam reliquisse videantur, idq; delirijs quibusdam efficere intendunt. Vrgent scilicet (1.) † juramentum Imperatoris ante consecrationem & coronationem 62. Romanam Pontifici præstandam, *ex can. tibi Domino dist. 63. & cap. Romani in Clement. de jurejur.* ubi hæc formula exprimitur: † Promitto, spondeo, 63. polliceor atq; juro, me protectorem, procuratorem & defensorem fore summi Pontificis & hujus sanctæ Ecclesiæ Romanæ in omnibus necessitatibus & utilitatibus suis, custodiendo & conservando possessiones, honores & jura ejus, quemadmodum divino suffultus fuero adjutorio, secundùm scire & posse meum, &c. In quam sententiam Carolum V. Imp Bononiæ Clementi VII. jurasse legimus, ubi inter alia promisit; † Se pontificiæ dignitatis & Romanæ Ecclesiæ perpetuum 64. fore defensorem, nec ullam ecclesiasticæ libertati vim illaturum; sed

potestatem

potestatem, jurisdictionem & dominationem ipsius, quoad ejus fieri potest, conservaturum ac protecturum, apud Melch. Goldast. *tom.3. Const. Imper. p.508.* & parile fecit promissum Ferdinandus I. Imp. per
65. Legatum Pontifici, apud Thuan. *lib.21 histor.* † Idq; juramentum pro jurejurando fidelitatis vulgò venditant, de quo à retro Romanis Principibus non fuisse hæsitatum, inquit Clemens V. Papa *in dict. cap. Romani.* Hinc Cornel. Agrippa personam Pontificis ad Imperatorem
66. ita loquentem, in scenam producit: † Si ex more majorum, Serenissime Fili, tuâ sponte & integerrimo corde paratum te offers, ad præstandum nobis fidelitatis juramentum, secundum literas Imperiales Aureâ Bullâ munitas, & in Romanæ Ecclesiæ archivis diligenter repositas, accede huc, & coronam Imperialem tuo capiti imponere non tarda-
67. bimus. *in diad. Imper.* † Ex quo subjectionem Imperatoris in temporalib. quoque & superioritatem Pontificis satis probatam, contendunt Bellarm. *in tract. de potest. Pontif. Roman.* Gretser. *contra replic. Franc. Bozz. lib. 1. de tempor. Eccles. monarch. c.1.* Restaur. Castald. *in tract. de Imp. quæst. 36.* (2.)
68. Ex quo ulterius eò audaciç progrediuntur, † ut jure Vasallagij Imperatorem Pontifici obstrictum asserere haut erubescant: Quod si enim juramentum fidelitatis ab Imperatore præstetur Papæ, fieri haut potest, ut non sit ejus Vasallus, ab eoq; Imperium teneat, ac illum superiorem
69. recognoscat, *arg. tit. 3. 4. & 7. FF. 2.* † de quo etiam est textus juris feudalis in *tit. 100. FF. 2.* & respexit eò Adrianus IV. Papa in literis ad Fridericum I. Imp. missis, apud Frid. Hortleder. *de caus. bell. german. lib. 1. c. 47. p. 513.*
70. unde audacter nimis scripserunt, † ab Imperatore crimen Majestatis committi, si quid contra Papam & statum Ecclesiæ Romanæ moliatur, Tiber. Decian. *in prax. rer. crimin. lib. 7. c. 8. n. 1.* (3.) Vtq; fortiori constringant vinculo Imperatorem, fulcrum non leve sibi suppetere existimant
71. † ad construendam & firmandam Pontificis superioritatem ex coronatione papali. Ajunt scilicet, electionem Imperatori designato jus inefficax, & sicut gladium in vaginâ reconditum tribuere, sed ut eundem educere & perstringere possit, id è solâ Pontificis coronatione & approbatione dependere, Hier. Balbus Episcopus Gurcens. ad Carol.
72. V. *de coron. p. 35.* Petr. de Andlo. *de Rom. Imper. lib. 2. c. 5. in fin.* † ut hinc potestatem suam Imperator in effectu Pontifici acceptam referre debeat, veluti propterea nonnulli scriptores Henricum Aucupem inter Imperatores referre noluerint, quod coronationem à Pontifice non

petijsset,

petijsset, Cuspin. *in vitâ Henrici III.* (4.) † Vnde folium hodie vertendum 73.
fat impudenter delirant, ita ut Impetatores, qui olim Pontifices constituerint, nunc ab ipsis confirmationem efflagitare teneantur, quique tempore vetusto Papam sede Apostolicâ dejecerint, ab eô ne hodie solio Imperiali dejiciantur, sibi metuere habeant. † Ita enim Clerico- 74.
Politici Romanenses ineptiunt, & depositionem Imperatorum ad solum Pontificem summum pertinere scriptitant, *cap. ad Apostolicam. extr. de sent. & re judic in 6to Clem. Romani. extr. de jurejur. cap. venerabilem. extr. de elect. & ibidem* Canonistæ communiter, Alex. Carer. *lib. 2. de potest. Pontif. c. 19. n. 12. & seqq. p. 169.* Panncirol. *consil. 19. n. 32. & seqq.* † ex eodemq; fonte 75.
profluit & illud catholicorum Romanensium, ut si Imperator, vel vacante Imperio Principes quid iniqui decernant, gravato ad Pontificem provocare, ad eumque omisso etiam judice medio appellare fas esse, Sigism. Scacc. *de appellat. q. 7. n. 112.*

XXXVII.

Sed non moramur nugas hascé & ineptias Romanensium, † 76.
quas impudenter partim in proprio coxerunt cerebro, & sale mendacij adsperserunt figmenta pro lubitu quæq; decretis & canonibus inserentes, ac pro Evangelio venditantes, quasi penitus ignari, ne hilum fidei testimonium in causa propria, & quod dicunt, domestico tribuendum, ut non abs re † Decretales, Clementinas & Extravagantes, quibus 77.
superioritatem Imperatori detractam eunt, falsò in Ius canonicum irrepsisse, nec quidquam inde Majestate Cæsareæ præjudicari posse, jamdudum judicaverit Vice-Cancellarius Imperij D. Seld *in alleg. Consil.*
† partim verò delirijs hiscé superioritatem ecclesiasticæ majestatis 78.
internæ cum temporali potestate miserè confundunt, & mille erroribus se implicant. Etsi enim illam in Pontifice Imperator exemplo Alexandri M. Iaddum summum Pontificem adorantis apud *Ioseph libr. 11. antiq. Iudaic. c. 8.* Constantini M. Valentiniani I. & Caroli M. ob cœleste Numen honorantium, submissius veneratur, † quo pacto haut 79.
absonum, Imperatorem Pontifice inferiorem haberi, Felin. Sandæus *in cap. canonum statuta. 1. n. 9. extr. de constit.* Bald. *in l. rescripta 7. n. 8. C. de precib. Imp. offer.* † Attamen in temporalibus & seculum attinentibus longè 80.
inferior est Papa Imperatore, quin & obedientiam debet Imperio, ut in

Constitutionibus SS. Impp. Ludovici Pii, Lotharii I. Otthonis M. &
81. Henrici II. sancitum legitur, Goldast. *in Bohem. lib. 3. c. 13. n. 7 p. 362.* † quo temperamento probè observato nil quidquam scrupuli residebit ex dogmatib. illis adulatorũ Romanensium, comiseratione potius, quam responso egentium: Ne tamen vadimoniũ deseruisse videamur, nervũ
82. ipsorũ frangemus paucissimis. Fallunt autẽ & falluntur (1.) † qui ex *can. tibi Domino. dist. 63.* & juramento Imperatoris ante consecrationẽ & coronationem Romanam præstando, subjectionem Imperatoris, Papam superiorem recognoscentis adstruere gestiunt; constat siquidem ex
83. vetustis monumentis, juramentum hoc † ab Imperatore præstari non Papæ, ut Domino superiori, sed universitati totius populi Christiani, cujus nomine Papa sacramentum illud ab Imperatore consecrando exigit, veluti quoque Archiepiscopus Moguntinus ab eodem Imperatore in coronatione Aquisgranensi, vice Ordinum & populorum
84. Germaniæ, Galliæ & Slavoniæ id recipit, Goldast. *dict. c. 13. p. 364.* † Et hoc juris habent Ordines Imperii tàm in Germaniâ & Galliâ, quàm ipsâ Italia, ut non teneantur homagium electo Cæsari præstare, priusquam ipse fidem protectionis & conservationis sigillatim obsignasset, Manlius *in tract. de homag. n. 120.* Reinking. *de regim. secul. & eccles. cl. 5.*
85. *c. 3. n. 8.* † At quis nescit, regulare ubique esse, ut Reges ac Principes populo sibi subject . in receptione ac inauguratione fidem suam juratis promittant verbis, Iacob. Rex Britanniæ *de jur. monarch. fol. 11.* Besold. *in disert. de statu Reip. mixto, c. 5. n 1.* nec tamen quisquam subditos illos pro superioribus suorum Regũ ac Principum propterea habendos dixerit.
86. † Errorem portô insignem errant Pontifices, si fidelitatem subjectionis ab Imperatore sibi juratam seriò credant, siquidem juramentum istud protectionis dicitur & defensionis, nequaquam autem subjectionis, ut jampridem declararunt Imperatores Ottho III. Henricus II. Henricus III. Henricus IV. Henricus V. Lotharius II. Fridericus I. Henricus VI. Fridericus II. Henricus VII. Ludovicus IV. Guntherus, Maximilianus
87. I. & Carolus V. † nec non præstantissimi quà Theologi, quà Iurisperiti in variis tractatibus evidenter demonstrarunt, Verba hæc sunt Goldasti *dict. c. 13.* Atqui nulla juris ratio patitur, ut protectarius superior sit suo protectore, in cujus territorio est situs., Claud. Falcet. *tom. 2. antiq.*
88. *gallic. lib. 1. c. 4.* Paul. Busius *lib. 1. de Republ. c. 5.* † nisi & Principes Imperii singulos supra solium Cæsaris constituere quis adnitatur, quippe quod

& illis

& illis Imperator defenſionem & protectionem promittat, Henn. Göden *de elect. Regis Rom. c.* 8. Sed abſurdè ſatis, quod nec quiſquam Politicorum hactenus facere attentavit. Ex quo (2.) † ultrò corruit 89.
alterum dogma Romanenſium, qui jure Vaſallagii Imperatorem Papæ obſtrictum inſaniunt; Deſtructo enim fidelitatis juramento, in fumum abit obligatio Vaſallatica, tantumque abeſt, Imperatorem Vaſallum eſſe Pontificis, ut etiam Electores in Comitiis Remenſibus decreverint, Cæſarem ad jurisjurandi hujus præſtationem haut adigendum fore, Seld *in alleg. conſil.* † cujus aſſerti ſtrenuum ſe præſtitit defenſorem 90.
Ottho Wittelsbachius Comes, qui cùm ab Hadriano IV. Imperium jure feudi papalis ad Imperatorem delatum, nimis audacter ſcriptum perciperet, vix ſe continere potuit, quin Legato in oculos convolaret, ex Mich. Sachſ. *in Chron. de vita Frider. I.* Lans. *de princip. inter provinc. Europ. in Orat. contra Ital.* † eique poſtea adſtiterunt Principes Imperii, uno 91.
reſpondentes ore, verba hæc inſolita & inaudita Pontificis approbare nec audemus nec poſſumus. † Ac ipſe tandem Fridericus; ſe coronam 92.
nemini acceptam referre, excepto Deo & Principibus Germaniæ, Radev. *lib.* 1. *c.* 10. Carol. Sigon. *lib.* 9. *hiſtor. Ital.* Nec obicem hiſce ponit ullum *cap. un. in tit.* 100. *FF.* 2. præterquam enim † quod id intra 93.
extraordinaria capitula relatum autoritate ſua deſtituatur, ne verbulo mentionem facit Imperii, cujus ratione fidelitas præſumatur præſtita: quare ſi quidquam probet, Imperatorem quidem Pontifici fidelitatem debuiſſe ex hoc evincetur; at non intuitu Imperii, ſed forſan ratione alterius feudi ac ducatus, quem à Papa acceperit, Reink. *de regim. ſec. & eccl. lib.* 1. *cl.* 2. *c.* 5. *n.* 14. † quo intellectu Bodin. Pontifices Imperii Va- 94.
ſallos nuncupat, ut qui Imperatorum largitione, nobiliſſimas Imperii teneant ditiones, *lib.* 1. *de Republ. c.* 9. *p.* 213. Vnde quàm falsò & impudenter Vnctus Domini inſimuletur criminis læſæ majeſtatis, ſi quid contra Papam fecerit, ſatis eluceſcit, Goldaſt. *dict. c.* 13. *p.* 363. (3.)
† Fulcrum autem verè eſt ſtramineum, quod miſelli Pontifices ex 95.
coronatione aſtruere ſatagunt; poſitô namque, coronationem papalem ita inoleviſſe, ut omitti haut debeat, num propterea per hanc vel beneficium vel poteſtatem à Papa Imperatori quiſquam conferri exiſtimaverit? Non ita judicabit, cui acetum in corde; poſtquam † olim Impe- 96.
ratores eam admiſiſſe legimus, non ad conferendam ſibi aliquam majeſtatem & autoritatem, ſed tantummodò ad declarationem Impe-

ratoriæ poteſtatis & adminiſtrationis per electionem jam antea con-
97 ceſſæ, † vel ſaltem devotionis causâ, quo de hiſce ſcribit verbis Marſil. de Padua: Romanorũ Principum quidam circa tempora Conſtantini ex ſuperfluâ quadam devotione electionem de ſe factam amicabiliter ſignificare voluerunt Romanis Pontificibus, ut in eorum perſona Chriſto ſingularem reverentiam exhibentes, ab eo per Pontificum interceſſionem, ampliorem benedictionem & gratiam ad ſuum guber-
98. nandum Imperium obtinerent. † Eodemque modo propter ſuæ inthroniſationis ſolennitatem & ſignum Diadema regium per eos ſibi imponi fecerunt. Ex hac reverentia ſic ſponte per Romanos Principes exhibitâ, quærentes ſæpius quæ ſua non ſunt, Epiſcopi Romanorum induxerunt conſuetudinem & abuſum verius, propter Principum ſimplicitatem, laudationem electę perſonę ac benedictionem, quam ſuper illam mittebant, vocaliter aut in ſcriptis vocare confirmationem ele-
99. ctionis prædictæ; † Nec attendentibus olim Romanis Principibus, quę ſub hac appellationis figura præjudicialis lateat intentio. Sic ipſam ſucceſſivè induxerunt latenter, ut nullus quantumcunque convenienter electus Rex vocari debeat, neque Regis autoritatem habeat, niſi per Romanum Epiſcopum fuerit approbatus, *in defenſ. pac. part. 2. c. 25.*
100. Nullo itaque † jure, ſed blandâ adſentatione & ſpontanea Romanorũ Pontificum ingeſtione per abuſum reverentiæ coronatio papalis fuit introducta, prout abſque ulla hæſitatione Vice Cancellarius Imperii ad Ferdinandum I. Imp. ſcripſit. Et quidnam autoritatis vel poteſtatis impoſitio Coronæ conferet Imperatori, † cùm ex ſolâ Principum
101. electione pleniſſimum regimen ac ſupremam poteſtatem acceperit? *Aur. Bull. tit.* 2. quod benè advertens Ludovicus Bavarus, jamdudum Pontificis adſenſum judicaverit penitus vanum & inanem, peculiari ſancito, quod refert Balb. *de coron. p.* 39. Aventin. *lib.* 7. *annal.* Hortleder
102. *de cauſ. belli german. Caroli V. lib.* 1. *c.* 41. *p.* 512. † Idque diſſimulare haut voluit Fridericus I. Imp. ad Principes Imperii ita reſcribens: Cum per electionem Principum à ſolo Deo Regnum & Imperium noſtrum ſit, cumque Petrus Apoſtolus hâc doctrinâ mundum informaverit: Deum timete, Regem honorificate; Quicunque nos Imperialem Coronam pro beneficio à Domino Papa ſuſcepiſſe dixerit, divinæ inſtitutioni & doctrinæ Petri contrarius eſt, & mendacii reus erit, Kadevic. *lib.* 1. *c.* 10.
103. † neque hinc vitio vertendum Carolo V. Auſtriaco, in Edicto Wormatienſi

matiensi contra Lutherum edito, nec non de causâ Lutherana Noribergæ publicato, Anno 1523. sese Romanorum Imperatorem nuncupanti, sibique Imperialem dignitatem adscribenti, priusquam etiam â Papa coronatus esset, Dn. Hopfner. *in Saxon. evangel. contra Cutsem. sect. 2. p. 3. c. 4. pag.* 312. Et quid, † si Imperator à Pontifice haut corona- 104.
retur, num propterea tituli & regiminis Imperatorii eum incapacem dixerimus? Absit à nobis hæc injuria, qua proculdubio Vnctus Domini proscinderetur, & non absque sacrilegio autoritas Imperatoria redderetur ambigua. † Sanè post fata Caroli V. nemo Successorum invi- 105.
ctissimorum Coronam à Papa petere necessum duxit, ut non vanum fuerit vaticinium eorum, qui ex confracto ponte, super quem Carolus V. Bononiæ templum ad coronationem ingressus fuerat, nullum deinceps Imgeratorem alium coronatū iri prædixerant, Henr. Cornel. Agrippa *de dupl. coronat. Caroli V.* Quam † parùm quoque coronationi 106.
huic adsignaverint autoritatis Rudolphus I. Maximilianus I & Henricus Auceps, ex historicorum monumentis notissimum est, Cuspinian. *in vita Rudolph. I.* Guicciardin. *lib. 7. histor. p. 66.* Levioris hinc armaturæ sunt (4.) † reliqua Romanensium dogmata, quibus dejectio Imperato- 107.
ris, jusque appellationis recipiendæ ab ejusdem decretis, Pontifici vendicatur, quorū prius jamdudum nullo negotio profligavit Elector Moguntinus, Limn. *lib. 2. jur. publ. c.* 11. *n.* 23. † hoc autem à pontificiis 108.
effictum, nec unquam practicatum legitur, Reinking. *de regim. secul & eccl. lib. 1. cl. 2. c. 2. n.* 14. *& seqq.* Quantumvis largiamur lubentes, post tempora Constantini Magni, insequentis seculi Pontifices † turbatâ 109.
intestinis dissidiis Germaniâ multum autoritatis & iniquissimæ potestatis in se vi doloq; transferre cœpisse, nec quievisse, priusquam fractis & debilitatis Imperij germanici viribus idipsum obtinuerint, ut probat ex universâ temporum istorum historiâ Autor scripti *de origine & progressu Papatus, Londini Anno* 1617. *editi, c.* 4. Sed quid juris ex vi injustâ & dolo malo colligendum?

XXXVIII.

Relinquimus autem hoc, & properamus ad alterum fundamentum, † quod tale esto: 102. *Fundamentū secundū*

Qui potestatem habet nullam, de pace aliové negotio Imperiali

pro la- " *quidquam statuendi, disponendi ac ordinandi, is nec de pace & rebus*
besa- " *Imperij sancita, statuta & ordinata, immutare, annullare, vel iis*
ctādo " *derogare valet. At Papa potestatem de pace & rebus Imperii*
Inno- " *statuendi & ordinandi non habet. Ergò* : † Majorem procul
centii " dubio propositionem nec Papa, nec quivis alius impugnare suscipiet, si
X. au- " non in rationem naturalem & juris principium impingere, ac ICtorum
su. " reprehensionem incurrere velit. De hoc enim sic Vlpianus : † Nihil
111. tàm naturale est, quàm eo genere quidve dissolvere, quo colligatum
112. est, *in l. nihil* 35. *ff. de R.I.* Gajus: Omnia quæ jure contrahuntur, contrario
jure pereunt, *in l. omnia* 100. *ff. eod. tit.* Paulus : Quibuscunque modis
obligamur, ijsdem in contrarium actis liberamur; Cum quibus modis
adquirimus, ijsdem in contrarium actis amittimus, *in l. feri.* 153. *ff. de* R.I.
& Bomponius: Prout quidq; contractum est, ita & solvi debet, *in l. prout*
113. 80. *ff. de solut.* † Convenit ergò in hoc ICtorum cohors, quod nihil
æquitati naturali & principijs juris tàm conforme & consentaneum
sit, quàm unumquodque eo modo ac genere, pariliq; jure ac potestate
dissolvi, quo colligatum est. Et quî non? postquam abrogatio juris jam
constituti factęque dispositionis nil aliud est, quàm nova constitutio ac
dispositio; nam qui semel constituta & ordinata abrogat, noviter aliquid
114. constituit & ordinat, per quod priori sancito derogetur, † ut hinc
constitutio pariter & abrogatio, vel annullatio ex ejusdem potestatis
fonte profluant. De assumtione igitur tantùm soliciti simus necesse
115. est : Licèt verò & heîc ICtorum adminiculo non parùm juvemur, †
si ex doctrinâ eorum, quam ipsimet comprobavere Legislatores, onus
probandi hanc potestatem in Innocentium Pontificem, actoris &
affirmantis partes sustinentem, transferamus, ne sibi planè innocens
videatur; attamen cùm in luce meridianâ versemur, & assumtio nostra
nil difficultatis vel laboris habeat, negativam ipsimet dabimus demon-
116. stratam. (1.) † Quis verò inficias ibit, in Imperio soli Imperatori &
Statibus seu Proceribus Regni, de negotijs Imperij, adeoque de pace
etiam construendâ, firmandâ ac stabiliendâ potestatem competere, ceu
capiti & membris Imperij, adeoq; de pace etiã construendâ, firmandâ
ac stabiliendâ potestatem competere, ceu capiti & membris Imperij,
qui soli agunt, efficiunt ac operantur, quicquid in Imperio utiliter
117. gerendum & agendum est, † perinde ut in corpore humano actio hæc
capiti

capiti & membris adſcribitur, veluti Guevara alloquitur Imperatorem Trajanum : Scito, inquiens, Domine, te & Imperium tuum nihil eſſe aliud, quàm corpus myſticum, ad corporis vivi verique modum, ea quippe requiritur utrinque concinnitas, ut & Imperator tales ſe habere ſubditos gaudeat, & Imperium de tali ſibi Domino placeat, *in horol. Princip. c. 36. p.* 134. Hugo Grot. *de iure belli. lib. 2. c. 9. n. 8. p.* 230. † Etſi verò 118.
corpus hoc myſticum & populum univerſum, & viros quoſque præſtantes ac doctos comprehendat, ipſa tamen regiminis actio ipſumque imperium ſolius eſt capitis & membrorum, quæ in Imperio Cæſarea Majeſtas unà cum Proceribus & Ordinib. Imperij repræſentat, penes quos etiam regimen ejus & facultas ordinandi reſidet, Limn. *de iure publ lib.* 1. *c.* 6. *n.* 20. † Malè autem vel pro capite vel pro membro 119.
aliquo Imperii, Papam habendum dixerit, quiſquis etiam hoc dicere auſus fuerit, poſtquam Imperator caput Imperii nuncupatur, eique ſoli dignitas hæc ex concluſo Procerum attribuitur, *Aur. Bull. tit.* 2. *Receß. Imp. de anno* 1530. *& de anno* 1545. † Membra verò Imperii ſunt 120.
Status & Proceres Imperii, qui capiti ſuo, h. e. Imperatori tanquam pia membra uniuntur, *Receß. Imp. de anno* 1541. 1546. 1527. 1530. 1542. 1567. Quid ergò Papa ? Monſtroſum foret corpus Imperii, † ſi vel 121.
biceps fingeretur, vel membris abundaret, ac licèt caudā ſolummodò Pontifex repræſentare geſtiat, non tamen efficiet, quin membrum ſit monſtroſum & abſcindendum, quò Imperio ſua conſtet forma.
† Propius ut ad rem accedamus, ſive de pace firmandâ, fœderibus in- 122.
eundis, ſive de aliis Imperii negotiis & cauſis publicis tractandum & concludendum ſit, ex notiſſimâ obſervantia in conventibus aut Comitiis univerſalibus id expediri debet, in quibus hodie regimen Imperii potiſſimùm conſiſtit, & in curiâ ſolenni, in Comitiis repræſentata, exercetur. Nec † enim aliâ de causâ Comitia ſeu conventus indicun- 123.
tur, quàm ut de rebus arduis Imperium concernentibus, omnium vota colligantur, eorumque majora prævaleant, prout videri eſt ex *Receſſ. Imp. de anno* 1512. 1521. 1542. 1570. *&* 1576. *ac paſſim.* Marquard. Freher. *in Comment. ad Conſtit. Adolphi. p.* 14. † Vt hinc verè deſcripſerit Comitia 124.
Bernh. Bertram, quod ſint convētus totius corporis Imperii, aut partis, ad aliquid ſciſcendum, decernendumvè Reipublicæ causâ, *in diſſert. de Comit. apud* Dom. Arum. *tom.* 1. *jur. publ. diſc* 9. unde etiam † Comitio- 125.
rum indictio & celebratio inter jura ſummæ Majeſtis refertur, quippe quia in illis jure majeſtatis ſummævè poteſtatis negotia, Imperii utiliter

geruntur

geruntur ac d. finiuntur, Arnold. Clapmar. *lib. 1. de arcan. Rempub. c. 14.* Limn *de jure publ. lib. 9. c. 1.* Theod. Reinking *de regim. secul. & eccles. lib. 1. cl. 5.*
126. *c. 8. n. 18.* † At quinam Comitiorum participes, quinam ad ea vocandi? Responsum si à Politicis petamus, id observantia firmatum nobis suppeditabunt, quod Status tantummodò Imperii cum Imperatore Comitiis seu conventibus interesse, de reb. Imperii consultare, easq; deci-
127. dere debeāt. † Rursus si quæsiverit aliquis, quinā sint ac dicantur Status Imperij? ambiguam is equidem obtinebit decisionem, postquam non unanimis Politicorum de hoc est sententia, Statibus Imperij diversi-
128. modè ab ijsdem notatis ac nuncupatis; † Vel enim certis eos adscribunt circulis, *ex Recess. Imp. de anno* 1512. *&* 1522. Arum *de Comit. c. 4. n. 45.* Vel in matricula Imperij consignatos ac comprehensos contendunt, Besold. *de jurisd. Imp. Rom. q. 8.* Vel ex prestatione Contributionum ac subsidiorū, necessitate Imperij efflagitante, de ijs judicari jubent, Paurmeist. *lib. 1. de*
129. *iurisdict. c. 6. n. 2.* Stephan. de jurisd. *p. 1. c. 4. n. 27. & seqq.* † Vel quod verius videtur, Status Imperij illos solummodò vocāt, qui in Comitijs habent jus sessuræ ac voti dicendi, *ex Recess. Imp. de anno* 1500. 1544. 1548. 1559.
130. 1576. sufficiens tamen erit † decisum, qualecunque etiam placuerit ad excludendum Papam à serie Comitiorum, eumq; consortio & numero
131. Statuum Imperij ejiciendum. Circulos enim si perlustraverimus, † quorum conservandæ pacis publicæ gratiâ decem sunt constituti, & primitus quidem sex tantummodò, Francicus, Bavaricus, Suevicus, Rhenanus superior, Westphalicus & Saxonicus, *Recess. Imp. de anno* 1500. quibus postea quatuor adhuc juncti: Austriacus, Burgundicus, Electorius Rhenanus, & superior Saxonicus, *Recess. Imp. de anno* 1572. Arum. *de*
132. *Comit. c. 2. n. 39.* Ioh. Limn. *de iure publ. lib. 1. c. 7. n. 19. & seqq.* † Ad quemnā horum Papam referendum existimaveris? Veremur, ne si quisquam hoc attentet, Italiam is quoq; circulis Imperij germanici includat, quod tamen hactenus à nemine dictum, nec facies moderni Imperij hoc
133. admittit. † Num Pontificem in matriculâ Imperij quis repererit, si quæsiverimus? tacebunt omnes; quamvis nec Papa jus certum inde sibi queat polliceri, propter multiplicem Matricularum varietatem, ut sic de veriore & receptâ nondum certò constet, Goldast. *de regno Bohem. lib. 2. c. 17.* Zach. Victor. *de caus. exemt. concl. 5.* Vlterius si oculos vertamus,
134. † in præstationem contributionum, nec Papa ipsemet se ad hanc

obligatum

obligatum fatebitur, nec si id forsan aliquando factum , non tam suâ sponte quàm ex decreto Imperij ab eo quidquam fuisse exolutum, probare difficilimum erit. Et quis tandem jus sessuræ & voti dicendi in Comitijs Pontifici attribuere ausit ? Prodeat, † qui ex actis Imperij 135.
se hoc didicisse jactitet; prodeat, qui subscriptionem ejus inter reliquos Imperij Status in Recessibus repererit? Quo jure igitur Papam numero & consortio Statuum Imperij accensebimus ? Exclusus omninò est, & 136.
in perpetuum manebit exclusus : † Vnde igitur potestas statuendi & decernendi in Comitijs , quam soli Cæsareæ Majestati & Statibus Imperij competere modò diximus ? Genuina hinc eorum profluxit nuncupatio , quod in Statibus Imperij ceu membris, h.e. basibus & columnis ipsum Imperium stet & subsistat, Goldast. *in Bohem. lib. 3. c. 3. n.* 4. † Sanè haut semel Papam se immiscere juri Comitiorum attentasse, 137.
liquescit ex conditionibus illis, quas Paulus IV. Pontif. Ferdinando II. Imp. proposuit, & inter alias hanc etiam: Ne inscio Pontifice Comitia, Concilium, aut illum conventũ indiceret & celebraret; apud Goldast. *tom. 5. act. Imper. germ.* † nec non ex ausu prædecessoris Pij II. Archiepis- 138.
copum Moguntinum Dietherum Comitem Isebergicum ad obstringendum se juramento sedi Romanæ & Successoribus, sollicitantis: Ne unquam nisi adsentiente Papâ Moguntinus Electores convocaret, Paralipom. ad Vrspergens. *sub Frider. III. Imp.* † At quid Principes Electo- 139.
res ad hoc ? Insolentijs hiscè Pontificum singulari prudentiâ & fortitudine restiterunt, inprimis verò Moguntinus Antistes , Fridericus Palatinus, & Ludovicus dives Dux Bojariæ, masculè contradixerunt, Papam à jure conventuum & Comitiorum penitus excludentes, Cilner. *in Orat. de Otthon.* III.

XXXIX.

Ac ne (3.) † foramen relinquamus minimum, per quod Pontifex 140.
in Comitia & deliberationes de rebus Imperij irrepere , sibique jus aliquod arrogare possit , occurrendum quoque erit temperamento Canonistarum , qui duplici habitu Papam in scenam producunt , ut Episcopum & Principem : † Quod si Pon- 141.
tifex arripiat , ulterius progredi , & tanquam Princeps jus sessuræ ac voti in Comitijs dicendi, ac per consequens de Pacificatione

ineundâ alijsq; Imperij negotijs deliberandi & decidendi, arrogare sibi attentabit, cùm & alios in Curijs Imperialib. sedere videat Episcopos,
142. qui simul Principes sunt ac Status Imperij. † Ac certè regimen seculare adimere Pontifici nolumus; at nec possumus, si non in patrimonio Petri potestatem ei denegare præsumamus, contra Principum ac Statuum Evangelicorum conclusum in *Augustana Confessione, art. ult.* § *pen. & ult. &*
143. *in Artic. Schmalcald. in subscr. Philipp.* † Quin potius secularem Papæ potestatem in terris suis competere, ultrò fatemur, cum Besold. *de majest. c. 2. n. 2. in fin.* Goldast. *in Bohem. lib.* 3. *c.* 13. *nu.* 2. nimirum quo jure Pontifex patrimonium Petri possideat teneatq; Principatum, ulteriori nos haut dabimus disquisitioni, quo intuitu alias multis petitur invectivis & querelis, apud Freher. *in Comment. ad donat. Oth. III. Imp.* Zieriz *in tract. de Prin-*
144. *cip. inter se prærogat.* Goldast. *lib.* 3. *Bohem. c.* 13 *n.* 2. † Sed cum in possessione reperiatur, dominio quantumvis adhuc ambiguo, haut invidebimus ei jus possessionis, usq; dum in processu ordinario succumbat, ne in permissionem divinam inpingamus, vel potestatem Magistratus à Deo
145. ordinatam, *Rom.* 13. faciamus ambiguam, † præeuntibus Philippo Melanchthone, Martino Bucero, Frechtio, alijsque protestantium Theologis *in Responsis de concord Eccles. ineundâ, ad Francisc. I. Galliæ Regem anno* 1534. *perscriptis, in libro sentent.* Phil. Melancht. *de pace Eccles ad virum no-*
146. *biliss Guilielmum Bellajum Langæum* apud Goldast. *in polit. Imp. part.* 28. † At num propterea Pontifex pro Principe Imperii agnoscendus, & inter Status in Comitiis referendus? Ita qui argumentari velit, omnes quotquot sunt in universo terrarum orbe Principes Imperio Romano subjugabit, adeoque & Pontificem ipsum, non absque bilis motione Romanensium, qui superioritatem pariter & plenariam exemtionem Pa-
147. pæ satagunt vendicare; † Nec enim litem jam reassumere lubet, an Roma aliæque in Italiâ provinciæ jurisdictionem Imperii agnoscere debeant, quod quidem Fridericus I Imp. absque ullâ asseruit hæsitatione, a-
148. pud Goldast. *tom. ult. Constit. Imper. p.* 33. † nec non Fridericus II. Papæ ita rescribens: Italia hereditas mea est, & hoc notum est toti orbi, Goldast. *tom.* 3. *Constit. Imper. p.* 658. cujus rei documenta quoque quoad civitates & Ducatus Italiæ leguntur apud Paurmeist. *de jurisdict. Imper. Roman. lib.*
149. 2. *c. q n.* 75. Hortleder. *de caus. belli german. lib.* 1. *c.* 15. *p.* 76. *& c.* 27. *p.* 105. † unde disquisitio feudorum Italicorũ exactior Cæsareæ Majestati incumbit ex conditionibus in Capitulatione scriptis. Sed cùm Pontifex æquè ac Reges & Principes haut pauci Imperio Romano-germanico se subtraxerint,

traxerint;†possessionem eis relinquimus inturbatam,nec litigium cum illis suscipimus,sive jure belli sive titulo præscriptionis pugnare nitantur; in orbitam revertentes,& ex hoc ipso fundamento Pontificem,ut Principem etiam secularem consideratū,à numero & consortio Statuū Imperij relegantes.(4.) †Quin etsi liberalitas erga Papam exercenda, ipsique jus sessionis ac voti in Comitijs & conventibus Imperij concedendum foret,q̃ tamen nunquam obtinebit, an propterea facultatem etiam disponendi & concludendi de pace alijsque negotijs publicis ei competere, argumentari licebit? Fallet omninò,qui hoc argumento Papæ attentatum defensare suscipiet. † Nec enim quisquam Imperij Princeps,ut maximè sessionem & votum in diætis habeat,tantum potestatis sibi adscribere præsumit, postquam in consultationibus non quid unus vel alter ex Statibus Imperij senserit, sed quid plures judicaverint,attendi,& ex pluralitate votorum,excepto Religionis negotio, conclusum formari soleat,comprobante,id non solummodò†Imperij observantiâ,sed&gentium jure,quô semper major pars judicasse fertur, Cicer.*lib.*8.*epistol.ad famil.*8.quod & jure communi firmatum *in l. item si unus* 17.§.6.*ff de recept.arbitr.l.quod maior pars* 19.*ff. ad municip.l. duo ex tribus* 39.*ff.de re judic.* inque aliorum populorum Curijs hactenus practicatum novimus,prout videre est apud Matth.de Afflict.*decis.*1.Anton.Tessaur. *decis.*1.*n.*1.Anton.de Gama.*decis.*1.Limn.*l.*9.*jur.publ.c.*1.*n.*178. Et† quid multis?cum sat expressè juxta pluralitatem votorum causas Imperij dubias decidere jubeant *Recess.de anno* 1521.1555.1559. quā in rem etiam prodijt decretum Matthiæ Imp. *Anno* 1613. in Comitijs ad instantiam Evangelicorū correspondentiū,cujus meminit Arum. *de comit. c.* 8.*n.*82. † Posito jam, quod Papæ votum in deliberationibus de negotiis Imperii competeret, num solus voto suo causas propositas terminabit,vel saltem aliis contradicendo, conclusum votorum pluralitate firmatum impediat vel retractabit & annullabit? † Nec Imperatori id fas esse, clausulâ illa,quæ jure conventionis ipsum constringit,Imperiique Recessibus apponi consuevit,luculenter probat; † Paciscentium siquidem in contractibus ineundis arbitrium non est, ut alter alterum invitum obliget,*arg.l.*5.*C.de oblig. & act.* Quî ergò Papa id attentare præsumeret, non nisi Principis unius vices in Comitiis sustinens? at hoc ex præsupposito,si inter Status collocaretur,suffragiumque diætis,ab ipso exquirendum foret: quod tamen juris Cæsarea Majestas ordinesque Imperii haut indulgent, nec in consortium Pontificem admittunt.

Margin numbers: 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157.

X L.

Quid ergò, † inquies, quod non semel Papa Comitiis Imperii per Nuntium interfuerit, & ad Pacificationis nostræ negotium autoritate Apostolicâ Fabium Episcopum Noritenensem ut Nuntium ablegaverit? Miserè deceptum se experietur, qui Pontifici tantillum inde potestatis vel suffragandi & disponendi, vel contradicendi competere persuasum sibi habet, † vel saltem parili ex fundamento idem facultatis
159. Regibus & Principibus exteris tribuendum, eosque juris Comitiorum participes, asserere ipsum oportebit; olim namque exteros quoque & confœderatos Reges, Principes vel ad Comitia admissos, † quin & vo-
160. catos, ac quidem tum maximè, cùm de propulsando hoste communi aliavè causâ communi deliberandum fuerit, percipere licet ex Goldast.
161. *in præfat. tom. 3. rescript. Imper.* Sic etiam Attilam † potentissimum illum Teutoniæ Imperatorem & Carolum M. Socios & amicos liberos æquè ac subditos ad jus Comitiorum, Reique publicæ deliberationem adscripsisse novimus. Num benè ac tuto, jam non disquirimus: proficuum enim id Imperio, quantumvis existimet, Goldast. idemq; † ut nostro fiat
162. seculo calidis exoptet votis; attamen nec tuto, nec salvo Imperii jure splendoreq; Comitiorum majestatico fieri hoc posse arbitratur Bernh. Bertram *de comit. membr 3. concl. 26.* Sed id saltem intendimus, ex admissione aut vocatione ad diætas & Curias Imperiales, † nemini jus sessuræ
163. ac voti dicendi in Comitiis deferri, minus verò hoc inde probari, si non & privatas personas Imperio subjectas ad conventus ejusmodi & comitia citatas ejusdem juris ac potestatis participes asseverare velimus, non sine absurdâ illatione. † Quem etenim latet, Lutherum à Carolo
164. V. Imp. VVormatiam ad Comitia Anno 1521. evocatum, ut in pleno Procerum consessu de libris à se editis redderet rationem? Sleidan. *lib. 3. inpr.* Cui haut innotuit, anno 1608. ab Imperatore Adsessores Cameræ ad Comitia Ratisbonensia fuisse citatos, ut de sententiis suis in causis quibusdam monasticis Cæsari & Statibus Imperii rationem redderent? de quo autor *necessaria admonitionis, opposita informationi Donavvertensi part. 1. p. 270.* † Nimirum sola vocatio ad Curias & Comitia Impe-
165. rialia jus sessuræ ac voti dicendi, vel quidquam potestatis nemini attribuit, sed imprimis causa vocationis attendenda, num ex lege fundamentali, ut Status Imperii ad consultandum & decidendum quis invitetur

retur, cui jus sessuræ dicendique suffragii haut denegandum, † an verò 166.
pro status ratione aliâve ex causa, & non tàm necessitatis quàm utilitatis respectu aliquis ad Comitia citetur; vel saltem honoris causâ admittatur, qui sanè parùm potestatis ac juris disponendi & ordinandi vel contradicendi inde sibi pollicebitur. † Quo temperamento Limnæus 167.
votum Goldasti de invitandis ad Comitia exteris quoque Regibus ac Principibus, à sinistra Bertrami suspicione purgat, si nempe haut necessitatis, sed utilitatis saltem intuitu, consiliis pacem ineundam, aliaque Imperii negotia publica concernentibus, adsint, ad arcanas tamen deliberationes haud admittantur, *lib. 9. jur. publ. c. 1. n. 63.* † Non ergò hinc 168.
quidquam habet Pontifex, unde fulcrum præsumtæ & affectatæ potestatis in Comitiis adstruere valeat, ad Comitia haud invitatus, sed saltem per Nuntium apostolicum admissus: Et si exactius causam admissionis inquiramus, videtur † eam superflua Romanorum Principum 169.
devotio extorsisse, existimantium, absque Pontificis intercessione & benedictione, nec gratiam divinam nec successum felicem deliberationum in Comitiis impetrari posse, quem ut eò certius obtinerent, Papæ vel Nuntii saltem apostolici præsentiam exoptarunt, † tantum abest, ut 170.
ultrò se offerentem non admiserint. Rem ita se habere, probat scriptum Cælestini *de actis Comitior Anno* 1530. *habitorum*, ubi de Carolo V. Civitatem Augustanam ingresso hæc recitat: † Ante templum summum, inquit, Cæsarea Majestas ex equo descendit, ad quam Principes juniores 171.
illicò accedentes, ingredientem sunt secuti, Episcopo Augustano benedictionem pronunciante, sed Imperator cum ad Sacrarium venisset, in genua projectus elevatis manibus ardentissimè oravit, ac deinde chorum fuit ingressus: Interea verò Cæsar. Majest. cantionem: Te Deum Laudamus, absolverunt, & campanarũ æs omne pulsatum fuit, Episcopo Augustano Psalmum Exaudi & collectas aliquas decantante. † O 172.
mnibus ferè finitis, D. Matthæus Langus Purpuratus Salisburgensis altare in choro exædificatum accessit, super Cæsareâ Majestate benedictionem pronunciaturus. Quod cum Campegius Pontificis Legatus conspexisset, statim impetu quodam accurrens, Purpuratum Salisburgensem cedere & abire jussit his verbis. Non tui, sed mei est officii, benedictionem dicere; cui Salisburgensis contradicere & repugnare non fuit ausus, eiq; ut hoc faceret, permisit, Hactenus Cælestin. *dict. loc.* † Ex 173.
quo quid officii sit Nuntii apostolici in Comitiis, & cur hic se in illis

ſiſtat, ſatis perſpicuum eſt. Vnde profectò nec de tantillo poteſtatis in conventibus Cæſareæ Majeſtatis ac Imperij Principum gloriari ac ſuperbire valet.

XLII.

Metuimus autem, Pontificem, quò armaturam noſtram labefactet,
174. † alio pugnaturum telo, & ſi non jure poteſtatis ſecularis affectatæ, Edictum nullitatis declaratorium ſuſtinere valeat, ſuperioritate ſaltem in ſpiritualibus hoc efficere, & ſic autoritate ſpirituali attentatum ſuum
175. defenſare ſuſcepturū; † Id ſiquidem operam dat, ut eos tantummodò Pacificationis articulos, qui jura & bona concernunt eccleſiaſtica, expugnet, quo in conatu multùm ſibi placet, adſtipulante militiæ Romanenſis adſerto,
176. † Imperatorem ſcilicet, omneſque Reges ac Principes, quantumcunque liberos & abſolutos, ſubeſſe Papæ in ſpiritualibus & dependentibus: idque negantem ſimilem eſſe negantibus, Spiritum Sanctum à Filio procedere, Tuſch. *pract. concluſ.* 70. *verb. ventorum laudes. n.* 16. Phil. Nicolai *de regno Chriſti lib.* 1. *c.* 7. unde
177. † audacter ſatis Clemens VII. Papa Carolum V. Imp. hiſcé affatur verbis: Vehementer peto, ut diſcedas ab armis, idem & ego faciam. Sumus enim ambo à Deo conſtituti, velut duo luminaria magna, demus operam, ut per nos illuſtretur orbis terrarum, nec per noſtrum diſſidium oriatur Eclipſis, apud Sleidan. *lib.* 6. Alludit ſcilicet ad poteſtatem ſupremam in ſpiritua-
178. libus ſibi conceſſam, † quâ & curam jurium & bonorum eccleſiaſticorum gerere, & ex placito ſuo diſponere ea geſtit. Sed levioris armaturæ eſt hoc telum, quod nullo negotio profligari poteſt, ſi regreſſum ad
179. tradita *ſupr. Poſit.* 11. 12. *&* 13. faciamus. † Excipiamus itaq; illud firmitate argumenti, quod reſtat, tertij; Eſtque id tale: ***Quicunq; poteſtatem non habet diſponendi ac ordinandi iura & bona eccleſiaſtica, is nec à Cæſareâ Maieſtate & Principibus ac Statibus* Imperii *de iuribus & bonis eccleſiaſticis ſancita & ordinata abrogare vel annnullare poteſt. Atqui Papa poteſtatem eam non habet. Ergò, &c.***
180. † Probationi majoris propoſitionis diutius inhærere nulla nos cogit neceſſitas, poſtquam ea per ſe clara, & jam ſatis illam

firmavimus

firmavimus *ſuprà Poſit.* 38. *n.* 113. Progredimur ergò ſtatim ad ipſam adſumtionem; † Eamque ita damus probatam, ut (1.) ab exercitio pote- 181.
ſtatis ſpiritualis Pontificem non excludamus, at nec ipſi ſoli id concedamus, ſed totam & univerſam Eccleſiam includamus. Sit enim Papa membrum aliquod mobile in Eccleſiâ, annum propterea totam Eccleſiam repræſentabit, ejuſque attentatum pro totius Eccleſiæ concluſo habendum erit? Nondum hoc probavit Pontifex, † nec conſenſum 182.
Eccleſiæ de annullandis quibuſdam in Pacificatione Oſnabruccenſi & Monaſterienſi articulis demonſtravit, nec demonſtrare unquam valebit, quamdiu Cæſarea Majeſtas & Proceres Imperii à Pacis concluſo rurſus non receſſerint. † Cùm enim & ipſimet ceu Magiſtratus 183.
tertium repræſentent membrum Eccleſiæ, quæ triplici in ſtatu conſiſtit, eccleſiaſtico ſcilicet, politico, & populari, *can. Valentinianus* 3. *& can. longè* 25. *in fin. diſt.* 63. Reinking *de regim. ſecul. & eccl. lib.* 3. *claſ.* 1. *c.* 6. *n.* 15. Beſold. *in diſſert. polit. jurid. de majeſt. c.* 4. *in pr.* † quî poterit Papa iis 184.
diſſentientibus de concluſo Eccleſiæ gloriari, vel poteſtatem Eccleſiaſticam ſibi ſoli arrogare? Quin nec ipſimet Curiæ Romanæ Officiales, Epiſcopos, Prælatos, Eccleſiæque miniſtros in univerſum à poteſtate eccleſiaſticâ excludunt, quorum tamen adſenſu declarationem annullatoriam prodiiſſe, Pontifex haut docuit, nec ullo documento deſuper exhibito perſonam ſuam legitimavit. † Inquiet forſan, 185.
primatum in Eccleſiâ ſibi ceu Petri Vicario & ſucceſſori conceſſum eſſe, ut hinc exactius in ejus attentata inquirere haut liceat: Sed nec ſaniores Pontificii quidquam ſuperioritatis vel majoritatis circa poteſtatem ſpiritualem & eccleſiaſticam poteſtatem, Papæ attribuunt, †
majoritatem illam ad exercitium & adminiſtrationem tantummodò 186.
reſtringentes, ſalvâ interim poteſtate in ſpiritualibus, non ſoli Papæ, ſed aliis quoque Apoſtolis conceſſâ, Anaclet. *in can. in novo teſtamento* 2. *diſt.* 21. *ibique* Abb. Hieron. & Raba *ad cap.* 16. *Matth.* D. Seld *in conſil. ſuper Pii V. Papæ attentato, p.* 14. *&* 15. † Cumque hæc fuſiùs demonſtra- 187.
verimus ſuprà *Poſit.* 11. multiſque id autoritatibus & argumentis firmaverit Seldus *loc. alleg.* & præ aliis probaverit idem ex decretis & ſcriptis Pontificum in Bibliothecâ Vaticanâ repertis, Autor ſcripti *de Papatu Romano, c.* 1. *&* 2. nolumus Solem facibus adjuvare, quod ſupervacui eſſe laboris, ſcripſit Anacletus Pontifex *in can. ſi omnia* 6. *q.* 1.
Et quidquid etiam (2.) † poteſtatis eccleſiaſticæ Papa habet, reſtrin- 188.

gendum

gendum id est ad provincias Italiæ suamque diæcesin, cui ut Episcopus præest, quod ne aliis quàm ipsorum Pontificum autoritatibus & decretis corroboremus, ablegatum volumus Pontificem vel alium quemq; hoc in dubium vocantem, ad prædictum Autorem *de Papatu Rom.* c. 2. ubi Conciliorum decreta & Pontificum attestata, quorum
189. ex parte *suprà Posit.* 11 mentionem fecimus, reperire licet. † Quo jure ergò potestatem suam in Germania exercebit? quo titulo Pacificationem impugnabit. Erubescet, si vel Antecessoris sui, cujus autoritate
190. falsa & futilia quæq; tueri satagit, pensitaverit verba, † quibus Episcopos sic alloquitur Petrus: Attendite gregi, qui vobis est commissus, 1. *Petr.* 5. *versic.* 2. quemadmodum enim absque vocatione legitimâ nemo ad functionem ecclesiasticam admittendus, *Romanor.* 10. *vers.* 14. *Hebr.* 5. *vers.* 4. ita nec Episcopis exercitium potestatis ecclesiasticæ in alterius diœcesi est permittendum; *cap. omnis. extr. de pœnit. & remiss. cap. ut dominicis* 2. *extr. de paroch & alien. parochian.*
191. Utque (3) † nervum assumtionis nostræ exactius tangamus, concesserimus tandem, vel potius præsupposuerimus saltem ex placito Pontificiorum, majoritatem quandam ecclesiasticæ potestatis Papæ præ aliis
192. & in alios etiam in Imperio Romano-germanico competere, † per hoc tamen prærogativam ullam quoad ecclesiasticam potestatem externam haut evicisse videbitur. Regredimur namque ad distinctionem *Posit.* 11. traditam, potestatis scilicet ecclesiasticæ internæ & externæ, ita ut illa consistat in prædicatione verbi & administratione Sacramento-
193. rum, ad regendum populum in foro poli: † Hæc verò in curâ, ordinatione & defensione Ecclesiæ, quæ non ad Papam vel alium quemvis Episcopum spectat, sed Magistratui politico divinitùs est demandata,
194. quod satis superque demonstratum dedimus *Posit.* 13. † Quantumvis Papa primatu ac superioritate circa internam potestatem ecclesiasticam superbiat, eamque ex præsupposito saltem ipsi concesserimus, attamen hinc contra Pacificationem à Cæsarea Majestate & Proceribus Imperii cum exteris Coronis initam insurgere, articulosque, jura &
195. bona ecclesiastica concernentes expugnare non valet, † cum & horum cura ac defensio dependeat ab ecclesiastica potestate externâ, & ad Magistratum, Cæsaream nempe Majestatem, Proceresque Imperii pertineat, eòrumque officio incumbat, prout ubertim in articulo instituti nostri primo fuit demonstratum, ut verbulum ulterius addere superfluum foret.

XLII.

Vnicum tantummodò, † quod adhuc indiſcuſſum, remoram 196.
forſan alicui injicere, poteſtatemq; Imperatoris ac Principum Imperij de rebus eccleſiaſticis diſponendi, ordinandi, pacemq; ineundi, ſuſpectam reddere poſſet: Ajunt enim Pontificij, in quorum partes etiam non parùm inclinat Beſoldus, veneno falſæ doctrinæ infectus, *in diſſert. polit. jurid. de majeſt. in gener. c. 3. §. 5.* † impium eſſe, Eccleſiam curæ ac 197.
protectioni Magiſtratus politici committere, quam nec Salvator noſter mundano Imperij ſubſidio firmare voluerit. Neque ex neceſſitate CHRISTUM & Apoſtolos ſine Magiſtratus auxilio ſuam propagaviſſe tutatoſq; eſſe doctrinam, quod nullus aderat Magiſtratus chriſtianus, religio cui cordi eſſet, † ſed quia Regnum ſuum, quod introducebat, 198.
mundanum haut fuerit, *Ioh. 18. verſ. 36.* Beſold. *dict. loc.* ubi porrò refert verba Brentij *ad dict. c. 18. Ioh.* hæc: † *Non eſt, quod hujus mundi Principes* 199.
glorientur, ſe eſſe Eccleſiæ chriſtianæ defenſores, Eccleſia namque armis defendi nequit, propterea quod regnum Chriſti non ſit de hoc mundo: Quod ſi quis voluerit protector eſſe Eccleſiæ, Petri, Pauli, ac aliorum Apoſtolorum & Martyrum gladium accipiat, non Auguſti ac Neronis. Nam Impp. defendunt externo ſuo gladio oppida ac vicos, Apoſtoli autem defendunt Eccleſiam gladio ſpirituali, h. e. verbo Evangelij. † Et hinc 200.
quondam multùm contendebatur de juſtitiâ belli ab Electore Saxoniæ pro religionis defenſione ſuſcepti, prout videre eſt ex ſcriptis Lutheri, Sleidani, Hortenſij, alijſque, quæ ſummo congeſſit ſtudio Frid. Hortleder *de cauſ. belli germ.* contra quod imprimis adverſarij urgebant,
† DEUM, cujus cauſa religionis eſſet, humano non indigere patrocinio, 201.
ſed ipſum ſatis virium habere tùm ad religionem ſuam defendendam, *Matth. 26. verſ. 52. & 53.* tùm ad diſſipanda gentium contra ſe coëuntium conſilia, *Pſal. 2. & 33.* tum ad ulciſcendas ſuorum mortes & injurias, 1. *Reg. 3. v. 7.* † quodq; non oporteat in auxilijs ullis humanis, ſed in ſolo 202.
DEO confidere, quale Iudæis reſponſũ adverſus Aſſyrios & Chaldæos, Ægyptiorum opem implorantibus dederunt Eſai. 20. *verſ. 6.* Ezech. 29. *verſ. 6. & 7.* Imprimis verò † quia CHRISTUS gladio cauſam ſuam de- 203.
fendere vetuit, *Matth. 26. v. 52.* quod ipſemet Lutherus contra Ruſticos ſeditioſos argumenti loco olim proferebat, Sleidan. *lib. 5. hiſtor.* At hiſcé aſſertum noſtrum non expugnatur, nec poteſtati Magiſtratus politici externæ circa jura & bona eccleſiaſtica quidquam præjudicatur; † 204.

Exactiùs enim si argumentum illud inspexerimus, internam & externam potestatem ecclesiasticam miserè confundi deprehendemus; nec enim de Regno spirituali, q in prædicatione verbi & administratione Sacramentorum consistit, soloq; spirituali gladio propagatur, firmatur ac defenditur, in quo verè interna exercetur ecclesiastica potestas, nobis jam est quæstio, nec eam Pacificatio Osnabruccensis vel Mona-
205. steriensis suscepit tractandã; † sed quæ de bonis & juribus ecclesiasticis ibidem agitata & conclusa reperiuntur, ad externam solummodò spectant potestatem ecclesiasticam, quam soli Magistratui politico
206. Cæsareæq; Majestati ac Principibus Imperij volumus vendicatam. † Quamvis & defensionem orthodoxæ ac veræ Religionis nequaquam Magistratui politico detrectandam existimemus, si status controversiæ
207. rectè intelligatur, † nimirum non de ipso cultu divino, qui ut invisibilis est ac spiritualis, & in verbo DEI nobis præscriptus, ita nec visibilibus ac corporalibus suppositus esse potest injurijs, nec capax visibilis &
208. externæ cujusdam defensionis; sed de Religione in concreto, † & quatenus in hominibus consideratur, qui ut visibiles & corporei sunt, ita & propter religionem externis obnoxij sunt injurijs ac defensionis capaces, Cornhert *in epist. process. de non occid. hæret. c. 3.* Formatô ita statu
209. controversiæ, nervus in eo consistit, † an homines religionis causâ vim sustinentes, præsidio armorum rectè defendi possint? Atque hinc justum ac defensivum habitum fuit bellum Saxoniæ Electoris & Con-
210. fœderatorum † à Luthero alijsque, ICtis ac Theologis, tùm temporis præstantissimis, quorum scripta & consilia cumulavit Hortleder. Ex
211. quo enim Reges ac Principes nutritij nuncupantur Ecclesiæ, *Esai.* 49. † obstricti inde sunt ad defensionem, quia tum maximè Ecclesia sustentatur & alitur, cum Principes verbum DEI tutò prædicari, piorum cætus colligi, nec ab impiis dissipari sinunt, constituti nempe ad hoc, ut subditi quietam & tranquillam vitam agant non modò in honestate,
212. sed etiam in omni pietate, 1 *ad Timoth.* 2. *vers.* 2. † Nec frustra Magistratus gladium gerit, *Roman.* 13. sed ut vim injustam repellat: At quæ magis injusta, quàm quæ propter religionis diversitatem hominibus infertur.
213. Idque † exemplis si demonstrandum foret, uterum gestaret catalogus, quem tamen summatim texuit Hortleder. *in Disp. de just. bell. german. anno* 1609. *Ienæ habitâ*, *apud* Goldast. *in polit. Imp. part.* 31. Et licèt DEUS pro immensâ suâ bonitate & potentiâ absque ullis medijs

bonos

bonos tueri, ac religionem conservare possit, † attamen hodie per me- 214.
dia agere consuevit, & hunc in finem suos sibi in terris constituit mini-
stros & Magistratus, quorum ope ac consilio uti qui contemnit, & im-
mediatum DEI auxilium expectat, ipsum tentare dicitur, veluti doce-
bant Theologi Magdaburg. *in scripto die Octobr. 16. anno* 1550. *edito, apud*
Hortled. † Quodque Petro Salvator interdicebat jure gladii, hoc non 215
Magistratui praejudicat, cui gladius est datus; sed clerici & privati ab e-
jusmodi defensione abstinere jussi sunt, Luther. *in concl.* 3. *super histor. pas-
sion. & apud* Sleidan. *lib.* 5. *histor.* Sed † extra orbitam vagari videmur. Re- 216.
gredimur itaque ad nostrum Innocentium; Cumque attentati sui va-
nitatem futilitatemque Edicti annullatorii ubertim hactenus demon-
straverimus, occinimus tandem illi verba, ab Episcopis Germaniae &
Belgii ad Nicolaum, Pontificem Romanum scripta: † Nos cum fra- 217.
tribus nostris & Collegis neque edictis tuis stamus, neque vocem tuam
agnoscimus, ne que tuas bullas tonitruaque tua timemus: Tu eos, qui
Senatusconsultis non parent, impietatis condemnas, ijsdem sacrificiis
interdicis; nos tuo te ense jugulamus, qui edictum Domini Deique no-
stri conspuis, concordiam discindis, pacem, caelestis Principis tesseram 218.
violas, &c. apud Goldast. *in Constit. Imper. rationali, part* 1. *fol* 50. † Destruat
Deus consilia tua, dissipet conatus, puniat fastum ac insolentiam;
Et omnis populus dicat:
AMEN.

SOLI DEO GLORIA.